

ORDO ET RITUS

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE ÆVORUM
condita a Ladislao Juhász

SERIES NOVA
condita ab Antonio Pirnát

Tomus XXX

Consilium editorum
Andreas Vizkelety præses,
Blasius Déri, Ladislaus Havas, Iosephus Jankovics, Petrus Kulcsár,
Editha Madas, Clara Pajorin, Georgius Székely

Seriem redigunt

Enikő Békés et Ladislaus Szörényi

Subseries

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA

Tomus XXX

Subseriem redigit
Blasius Déri

Institutum Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricæ
Sectio Litterarum Renascentium

Universitas de Rolando Eötvös nominata
Facultas Artium
Institutum Antiquitatis
Cathedra Litterarum Latinarum

<http://latin.elte.hu/mrh>

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA ???
Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Ævorum

Ordo et Ritus

*Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis,
quibus parochi et alii animarum pastores in ecclesiis suis uti debent*

(Viennæ Austriæ in ædibus Collegii Cæsarei, Societatis Iesu, anno MDLX)

recentius edidit
BENIAMIN VARGA

Argumentum Kiadó
BUDAPEST · 2015

Published with the financial support
of the Hungarian Scientific Research Fund Programmes (OTKA)
under the project numbered K 109058

Edited and introduced by
BENJÁMIN VARGA

Supervision by
MIKLÓS ISTVÁN FÖLDVÁRY

Scrutinised by
EDIT MADAS

English translations by
ERVIN J. ALÁCSI

English translations scrutinised by
DANIEL MICHAEL SEAGER-SMITH

Cover design by
MÁRIA HODOSI

Cover: XXX

HU ISSN 0133-6711 (BSMRÆ)
HU ISSN 2060-6796 (MRH)
ISBN XXX-XXX-XXX-XXX-X (OetR)

© Argumentum Publishing House, 2015
© Benjámín Varga, 2015

All rights reserved. No part of this book may be reproduced or translated in any form, by print, photoprint, microfilm, microfiche, digital copy or any other means without written permission from the publisher.

PRINTED IN HUNGARY

Index titulorum

De effigie reverendissimi domini domini Nicolai Olahi archiepiscopi ecclesiae Strigoniensis dignissimi, carmen eiusdem	2
[Introductio]	10
Sequitur Kalendarium	10
De aureo numero (quem Græci cyclum decemnovalē, Hebræi lunarem appellant) inveniēdo	24
Diem coniunctionis, oppositionis et quartarum lunæ ex Kalendario Romano investigare	24
De cyclo solari et littera dominicali inveniēda	24
Nota	25
Intervallum et dies concurrentes inquirere	25
I. Initium sancti Evangelii secundum Ioannem	27
II. Sequitur exorcismus salis et aquæ diebus dominicis per totum annum	27
III. Ordo benedictionis nubentium, præcipue, quando fit cum sollemnitate	30
Copula super viduas	32
Introductio sponsæ novæ post nuptias	33
Tunc incipiatur missa de sancta Trinitate, vel missa nuptialis	34
IV. Incipit catechismus puerorum	35
[Adiuratio super infantes]	38
Incipit baptismus circa fontem	40
Introductio mulieris post partum	41
V. Sequitur ordo ad inungendum infirmos	44
Sequitur commendatio animæ, quando iam prope est morti	57
Cum autem recesserit anima	59
[Exportatio funeris ad ecclesiam]	60
Post hæc lavetur corpus defuncti	63
Hic defunctus in ecclesiam portetur, cantando	63
Deinde cantentur vigiliæ mortuorum, et post missæ celebrationem stet sacerdos iuxta feretrum, dicens orationem	65
Hic elevetur corpus defuncti, et portetur ad tumulum cum psalmo et antiphona	67
Revertentes ad ecclesiam	74
VI. In die Paschæ benedictio carnium	76
Benedictio lardi	76
Super carnes avium	76
Ovorum benedictio	76
Caseorum benedictio	76
Ad quævis	77
Ad omnia benedictio	77
VII. Segetum consecratio in die sancti Marci evangelistæ	77
VIII. Benedictio pabuli seu avenæ in die sancti Stephani protomartyris	81
IX. Benedictio vini seu amoris sancti Ioannis, tertio die post Domini Nativitatem	83
X. Benedictio baculorum et capsellarum pro peregrinis	85
In reversione peregrinorum	90
XI. [Benedictio novorum fructuum]	90
Benedictio novi panis	90
Benedictio uvæ sive novæ fabæ	91
Pomorum benedictio	91
Benedictio ad vasa nova	91
Benedictio novæ domus	92

XII. [Decem præcepta, sacramenta, opera misericordiæ, dona Spiritus Sancti]	93
Oratio Dominica	93
Symbolum	93
Sequuntur decem præcepta, quæ habentur Exodi (20)	94
Septem peccata mortalia	94
Quinque sensus corporis, ii de anima	94
Peccata clamantia in cælum	95
Peccata in Spiritum Sanctum	95
Peccata aliena	95
Septem sacramenta	95
Sex opera misericordiæ	96
Septem dona Spiritus Sancti	96
Circumstantiæ peccatorum	96
XIII. Ordo in Purificatione sanctæ Mariæ	96
XIV. In capite ieiunii	100
XV. Ordo in die Ramispalmarum	102
Sequitur exorcismus florum et frondium	104
XVI. In Cena Domini	109
XVII. Ordo in die Parasceves	111
XVIII. Ordo in Sancto Sabbato	113
XIX. In Assumptione beatæ Mariæ Virginis benedictio herbarum	118
De festis diebus colendis	119
Ianuarius habet triginta unum	119
Februarius habet dies viginti octo	119
Martius habet dies triginta unum	119
Aprilis habet dies triginta	119
Maius habet dies triginta unum	120
Iunius habet dies triginta	120
Iulius habet dies triginta unum	120
Augustus habet dies triginta unum	120
September habet dies triginta	120
October habet dies triginta unum	121
November habet dies triginta	121
December habet dies triginta unum	121
Tabula contentorum in hoc opusculo	122

TEXTUS

**De effigie reverendissimi domini domini
Nicolai Olahi archiepiscopi ecclesiae Strigoniensis
dignissimi, carmen eiusdem**

PRÆSULIS effigiem quisquis depinxit Olahi,
vicit Apellæum sedulus ingenium.

Aliud Georgii Bonæ:

Si quis es, Olahi qui iam præconia famæ
audieris, tamen hunc ipse videre cupis,
Aspice, quam docta cernis pictam arte, tabellam,
præsulis illius talis imago fuit.

Aliud Sebastiani Listhii:

Internam veluti speciem demonstrat imago
virtutum, et famam tollit ad astra piam,
Sic quoque nativo facies expressa colore
pictoris digitis conspicienda datur,
Scilicet externæ facies subiecta figuræ
præceptis animæ debeat esse suæ.

Aliud Nicolai Istwanffii:

Hos oculos, hæc ora, comas talemque figuram
præsul Olahus habet, talis imago sua est.
Dii, facite, ut tali terras sub imagine multum
incolat, et sero sidera summa petat.



Portrait of Miklós Oláh (1493–1568), archbishop of Esztergom

[Introductio]

NICOLAUS Olahus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus ecclesiæ metropolitanæ Strigoniensis, locique eiusdem perpetuus et comitatus Hontensis comes, primas Hungariæ, legatus natus ac sacratissimi principis domini domini Ferdinandi primi, electi Romanorum imperatoris ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ etc. regis, archiducis Austriæ, ducis Burgundiæ etc. per Hungariam supremus secretarius, cancellarius et conciliarius etc. universis et singulis parochis ac aliis ecclesiasticis viris curæ animarum præpositis ubivis diœcesi et iurisdictioni ecclesiæ nostræ metropolitanæ Strigoniensis mediate vel immediate subiectis, fratribus in Christo nobis dilectis salutem paterna cum benedictione.

Inter infinitos propemodum errores, quos hæretici nostri temporis in Ecclesiam Dei invexerunt, illud etiam malis quibusdam artibus effecerunt, ut laudabiles atque usitatos sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ ritus et sanctorum patrum instituta vel inverterint vel pæne omnia sustulerint. Cui nos mederi obviamque ire cupientes multas salubres rationes ad labefactandos eorum conatus iam antea inivimus, et, ut arbitramur, nonnilhil etiam, Christo adiuvante, profecimus. Nunc vero hunc etiam libellum, quem prava hæreticorum persuasio atque doctrina in multis locis aboleverat, et qui normam veluti quandam continet, ad quam suas actiones et ministeria secundum veterum patrum et antecessorum nostrorum traditiones in ecclesiasticis quibusdam sacramentis ac ritibus tractandis et peragendis parochii et alii sacerdotes ad Ecclesiæ Dei ædificationem dirigant, denuo excudi curavimus. Quapropter vobis omnibus et singulis, præsentibus nostras visuris, mandamus, ut hunc librum omnibus maiorum nostrorum temporibus, in omni non modo diœcesi nostra, sed etiam aliis in locis ubique observatum, qui iam apud vos, propter perniciosam hæreticorum persuasionem ita in usu esse desierat, ut plurimis vestrum vix eius nomen constaret, tamquam rectissimam quandam regulam propositam habeatis, eoque uno in sacris rebus utamini, neque ullum alium recipiatis, sed omnia ex huius doctrina et præscripto faciatis: ac si quo alio antehac usi fuissetis, eius posthac usum reiicite, et hunc modis omnibus retineatis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna. Valete in Domino.

Tyrnaviæ, Kalendis Septembris anno millesimo quingentesimo sexagesimo.

Sequitur Kalendarium

ANNUS habet duodecim menses, hebdomadas quinquaginta duas, diem unum, et habet dies trecentos sexaginta quinque et horas sex.

KLAUREUS
NUMERUS**Tradens**

IANUARIUS dies triginta unum. Luna vero triginta.

III	A	Kalendis Ianuarii	1	Circumcisio Domini
	b	iiii Nonas Ianuarii	2	Octava sancti Stephani protomartyris
XI	c	iii	3	Octava sancti Ioannis evangelistæ
	d	pridie	4	Octava sanctorum Innocentum
XIX	e	Nonis	5	Vigilia
VIII	f	viii Idus Ianuarii	6	Epiphania Domini
	g	vii	7	Hilarii confessoris et pontificis <i>Claves LXX</i>
XVI	A	vi	8	Luciani et Maximiani martyrum
V	b	v	9	Iuliani et Basilissæ martyrum
	c	iiii	10	Pauli primi eremitæ
XIII	d	iiii	11	Gregorii episcopi et confessoris
II	e	pridie	12	Archademii martyris Cyriaci martyris
	f	Idibus	13	Octavia Epiphaniæ Domini
X	g	xix Kalendas Februarii	14	Felicis martyris
	A	xviii	15	Mauri abbatis
XVIII	b	xvii	16	Marcelli papæ et martyris
VII	c	xvi	17	Antonii confessoris et martyris Sulpicii confessoris et pontificis
	d	xv	18	Priscæ virginis
XV	e	xiiii	19	Marii, Marthæ, Audifax, Habacuc martyrum
III	f	xiii	20	Fabiani et Sebastiani martyrum
	g	xii	21	Agnētis virginis et martyris
XII	A	xi	22	Vincentii martyris
I	b	x	23	Emerentianæ virginis
	c	ix	24	Timothei confessoris et pontificis
IX	d	viii	25	Conversio Pauli 270 Proiecti martyris
	e	vii	26	Polycarpi episcopi et martyris
XVII	f	vi	27	Iuliani episcopi et confessoris
VI	g	v	28	Secundo Agnetis virginis <i>Claves XI</i>
	A	iiii	29	Valerii episcopi et confessoris
XIII	b	iii	30	Aldegundis virginis
III	c	pridie	31	Vigilii papæ Animonii martyris

KLAUREUS
NUMERUS**Quando**

FEBRUARIUS dies viginti octo. Luna vero triginta.

	d	Kalendis Februarii	1	Brigidæ virginis
XI	e	iiii Nonas Februarii	2	Purificatio sanctæ Mariæ
XIX	f	iii	3	Blasii episcopi et martyris
VIII	g	pridie	4	Victoris martyris Adventii episcopi
	A	Nonis	5	Agathæ virginis et martyris
XVI	b	viii Idus Februarii	6	Dorotheæ virginis et martyris
V	c	vii	7	Apollinaris confessoris Augulii episcopi
	d	vi	8	Helenæ reginæ Iuliani martyris Pauli episcopi
XIII	e	v	9	Apolloniæ virginis et martyris
II	f	iiii	10	Scholasticæ virginis
	g	iii	11	Desiderii episcopi
X	A	pridie	12	Iuliani martyris Eulaliæ virginis
	b	Idibus	13	Adalberti martyris Stephani episcopi
XVIII	c	xvi Kalendas Martii	14	Valentini martyris
VII	d	xv	15	Faustiniani martyris Sol in Pisce
	e	xiiii	16	Iulianæ virginis
XV	f	xiii	17	
III	g	xii	18	
	A	xi	19	
XII	b	x	20	
I	c	ix	21	Hilarii papæ Septuaginta martyrum
	d	viii	22	Cathedra Sancti Petri apostoli Ver oritur
IX	e	vii	23	Vigilia
	f	vi	24	Matthiæ apostoli Gerardi episcopi et martyris
XVII	g	v	25	Walburgæ virginis.
VI	A	iiii	26	Nestoris episcopi Felicis cum sociis eius
	b	iii	27	Leandri et Fortunati episcoporum
XIII	c	pridie	28	Romani abbatis et confessoris

KLAUREUS
NUMERUS**Reficis****MARTIUS** habet dies triginta unum. Luna vero triginta.

III	d	Kalendis Martii	1	Leonis papæ Albini episcopi d. i.
	e	vi Nonas Martii	2	
X	f	v	3	
	g	iiii	4	
XIX	A	iii	5	
VIII	b	pridie	6	Perpetuæ et Felicitatis
	c	Nonis	7	Thomæ de Aquino confessoris
XVI	d	viii Idus Martii	8	
V	e	vii	9	Quadragesima milium martyrum
	f	vi	10	Alexandri et Gaii martyrum
XIII	g	v	11	Gorgonii martyris Claves Paschæ
II	A	iiii	12	Gregorii papæ et confessoris
	b	iii	13	Macedonii papæ
X	c	pridie	14	Petri martyris Hilarii confessoris et pontificis
	d	Idibus	15	Longini martyris
XVIII	e	xvii Kalendas Aprilis	16	Æquinocmium
VII	f	xvi	17	Gertrudis virginis Bernardi confessoris
	g	xv	18	Sol in Ariete
XV	A	xiiii	19	
III	b	xiii	20	
	c	xii	21	Benedicti abbatis
XII	d	xi	22	
I	e	x	23	
	f	ix	24	Pigmenii episcopi
IX	g	viii	25	Annuntiatio sanctæ Mariæ
	A	vii	26	Resurrectio Domini
XVII	b	vi	27	Eustachii abbatis
VI	c	v	28	Gastuli martyris
	d	iiii	29	Reguli episcopi Pastoris et Victoris
XVIII	e	iii	30	Quirini martyris Eulaliæ virginis
III	f	pridie	31	Balbinæ virginis

KLAUREUS
NUMERUS**Sedule**

APRILIS habet dies triginta. Luna vero viginta novem.

	g	Kalendis Aprilis	1	Theodoræ virginis
XI	A	iiii Nonas Aprilis	2	Mariæ Ægyptiacæ
	b	iii	3	Burgundæ virginis
XIX	c	pridie	4	Ambrosii episcopi et confessoris
VIII	d	Nonis	5	Eirenes virginis
XVI	e	viii Idus Aprilis	6	Cælestini papæ Sixti episcopi
V	f	vii	7	
	g	vi	8	
XIII	A	v	9	
II	b	iiii	10	
	c	iii	11	
X	d	pridie	12	Leonis papæ
	e	Idibus	13	Iulii papæ
XVIII	f	xviii Kalendas Maii	14	Tiburtii, Valeriani et Maximi martyrum
VII	g	xvii	15	Helenæ virginis Claves Rogationis
	A	xvi	16	
XV	b	xv	17	Sol in Tauro
III	c	xiiii	18	
	d	xiii	19	d. xi.
XII	e	xii	20	
I	f	xi	21	
	g	x	22	
IX	A	ix	23	Adalberti episcopi et martyris
	b	viii	24	Georgii martyris
XVII	c	vii	25	Marci evangelistæ Litania maior
VI	d	vi	26	Cleti papæ
	e	v	27	Anastasii papæ et confessoris
XVIII	f	iiii	28	Vitalis martyris
III	g	iii	29	Petri martyris Claves Pentecostes
	A	pridie	30	Quirini martyris

KLAUREUS
NUMERUS**Refugium****MAIUS habet dies triginta unum. Luna vero triginta.**

XI	b	Kalendis Maii	1	Philippi et Iacobi apostolorum
	c	vi Nonas Maii	2	Translatio sanctæ Elisabeth Sigismundi martyris
XIX	d	v	3	Inventio sanctæ Crucis Alexandri, Eventii martyrum
VIII	e	iiii	4	Floriani martyris
	f	iii	5	Gotardi episcopi et martyris
XVI	g	pridie	6	Ioannis ante portam Latinam
V	A	Nonis	7	Ioannis episcopi Domitiani episcopi
	b	viii Idus Maii	8	Stanislai episcopi et martyris Apparitio Michaelis
XIII	c	vii	9	Translatio sancti Andreæ apostoli
II	d	vi	10	Gordiani et Epimachi martyrum
	e	v	11	Gangolphi martyris
X	f	iiii	12	Nerei et Achillei et Pancratii martyrum
	g	iii	13	Servatii episcopi et confessoris
XVIII	A	pridie	14	Bonifatii martyris
VII	b	Idibus	15	Sophiæ et filiarum eius
	c	xvii Kalendas Iunii	16	
XV	d	xvi	17	
III	e	xv	18	
	f	xiiii	19	Potentianæ virginis
XII	g	xiii	20	
I	A	xii	21	
	b	xi	22	Helenæ reginæ Iulianæ virginis
IX	c	x	23	Desiderii episcopi
	d	xi	24	Donatiani et Rogatiani martyrum
XVII	e	viii	25	Urbani papæ et martyris
VI	f	vii	26	Translatio sancti Francisci confessoris
	g	vi	27	
XIII	A	v	28	
III	b	iiii	29	
	c	iii	30	Inventio dexteræ sancti Stephani regis
XI	d	pridie	31	Petronellæ virginis

KLAUREUS
NUMERUS**Scandis**

IUNIUS habet dies triginta. Luna vero viginti novem.

	e	Kalendis Iunii	1	Nicomedis martyris
XIX	f	iiii Nonas	2	Marcellini et Petri martyris
VIII	g	iii	3	Pargentini et Laurentini martyrum
XVI	A	pridie	4	Quintini martyris
V	b	Nonis	5	Bonifatii martyris
	c	viii Idus Iunii	6	Philippi episcopi Claudii episcopi et confessoris
XIII	d	vii	7	Pauli episcopi Luciani episcopi
II	e	vi	8	Medardi et Bidardi episcoporum
	f	v	9	Primi et Feliciani martyrum
X	g	iiii	10	Maurini confessoris
	A	iii	11	Barnabæ apostoli d. vi.
XV	b	pridie	12	Basilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii martyrum
VII	c	Idibus	13	Antonii confessoris
	d	xviii Kalendas Iulii	14	
XV	e	xvii	15	Viti et Modesti martyrum
III	f	xvi	16	Cyrici et Iulitæ martyrum d. iii.
	g	xv	17	
XII	A	xiiii	18	Marci et Marcellini martyrum
I	b	xiii	19	Gervasii et Protasii martyrum
	c	xii	20	
IX	d	xi	21	Albani martyris
	e	x	22	Decem milium martyrum Pauli episcopi, confessoris
XVII	f	ix	23	Ioannis presbyteri Vigilia
VI	g	viii	24	Nativitas Ioannis Baptistæ
	A	vii	25	
XVIII	b	vi	26	Ioannis et Pauli martyrum
III	c	v	27	Ladislai regis et confessoris
	d	iiii	28	Leonis pontificis Vigilia
XI	e	iii	29	Petri et Pauli apostolorum
	f	pridie	30	Commemoratio sancti Pauli

KLAUREUS
NUMERUS**Ruffus**

IULIUS habet dies triginta unum. Luna vero triginta.

XIX	g	Kalendis Iulii	1	Octava sancti Ioannis Baptistæ
VIII	A	vi Nonas [Iulii]	2	Visitatio Mariæ Processi et Martiniani cum sociis
	b	v	3	Translatio sancti Thomæ apostoli Bonifatii episcopi
XVI	c	iiii	4	Translatio sancti Martini Udalrici confessoris pro commemoratione
V	d	iii	5	Dominici martyris
	e	pridie	6	Octava apostolorum Petri et Pauli
XIII	f	Nonis	7	Willibaldi episcopi et confessoris
II	g	viii Idus Iulii	8	Kiliani, Colonati, Totnati
	A	vii	9	Octava Visitationis Mariæ
X	b	vi	10	Septem fratrum martyrum
	c	v	11	Commemoratio sancti Benedicti abbatis
XVIII	d	iiii	12	
VII	e	iii	13	Margaritæ virginis et martyris d. i.
	f	pridie	14	
XV	g	Idibus	15	Divisio apostolorum
III	A	xvii Kalendas Augusti	16	Gundolphi et Monulphi martyrum
	b	xvi	17	Andræ et Benedicti martyrum Alexii confessoris
XII	c	xv	18	Sol in Leone
I	d	xiiii	19	
	e	xiii	20	
IX	f	xii	21	Praxedis virginis
	g	xi	22	Mariæ Magdalenæ
XVII	A	x	23	Apollinaris martyris
VI	b	ix	24	Christinæ virginis Vigilia
	c	viii	25	Iacobi apostoli Christoferi martyris
XIII	d	vii	26	Annæ, matris Mariæ
III	e	vi	27	Septem dormientium
	f	v	28	Pantaleonis martyris
XI	g	iiii	29	Depositio sancti Ladislai regis Felicis et Simplicii
	A	iii	30	Abdon et Sennen martyris
XIX	b	pridie	31	Germani episcopi et confessoris

KLAUREUS
NUMERUS**Tandem**

AUGUSTUS habet dies triginta unum. Luna vero viginti novem.

VIII	c	Kalendis Augusti	1	Ad Vincula sancti Petri d. i.
XVI	d	iiii Nonas Augusti	2	Stephani papæ et martyris
V	e	iii	3	Inventio corporis sancti Stephani protomartyris
	f	pridie	4	Gaudentii episcopi et confessoris
XIII	g	Nonis	5	Mariæ de Nive Dominici confessoris Oswaldi confessoris
II	A	viii Idus Augusti	6	Transfiguratio Domini Xysti et sociorum
	b	vii	7	Donati episcopi et martyris Afræ martyris
X	c	vi	8	Cyriaci et sociorum eius Adventus sanguinis domini nostri Iesu
	d	v	9	Romani martyris Vigilia
XVIII	e	iiii	10	Laurentii martyris
VII	f	iii	11	Tiburtii martyris
	g	pridie	12	Claræ virginis
XV	A	Idibus	13	Hippolyti et sociorum eius
III	b	xix Kalendas Septembris	14	Eusebii confessoris Vigilia
	c	xviii	15	Assumptio Mariæ Virginis
XII	d	xvii	16	Arnulphi confessoris Dies animarum
I	e	xvi	17	Octava sancti Laurentii martyris
	f	xv	18	Agapiti martyris
IX	g	xiiii	19	Magni martyris
	A	xiii	20	Elevatio sancti Stephani regis et confessoris
XVII	b	xii	21	Bernardi abbatis et confessoris
VI	c	xi	22	Octava Assumptionis Mariæ
	d	x	23	Timothei et Apollinaris martyrum Vigilia
XIII	e	ix	24	Bartholomæi apostoli Audoeni confessoris
III	f	viii	25	Genesii martyris
	g	vii	26	Irenii et Habundi martyrum
XI	A	vi	27	Octava sancti Stephani regis Ruffi martyris
	b	v	28	Augustini episcopi et confessoris Hermeti martyris
XIX	c	iiii	29	Decollatio Ioannis Baptistæ Sabinæ virginis et martyris
VIII	d	iii	30	Felicis et Audacti martyrum
	e	pridie	31	Paulini episcopi et martyris

KLAUREUS
NUMERUS**Scindere**

SEPTEMBER habet dies triginta. Luna triginta.

XVI	f	Kalendis Septembris	1	Ægidii abbatis et confessoris
V	g	iiii Nonas Septembris	2	Depositio sancti Emerici ducis et confessoris
	A	iii	3	Serapiæ virginis Antonini martyris d. xvii.
XIII	b	pridie	4	Marcelli martyris
II	c	Nonis	5	Victorini martyris
	d	viii Idus Septembris	6	Eleutherii episcopi
X	e	vii	7	Eurtii episcopi
	f	vi	8	Nativitas sanctæ Mariæ Virginis
XVIII	g	v	9	Gorgonii martyris
VII	A	iiii	10	Hilarii papæ
	b	iii	11	Proti et Hyacinthi martyrum
XV	c	pridie	12	
III	d	Idibus	13	Maurilii episcopi et confessoris Cypriani martyris
	e	xviii Kalendas Octobris	14	Exaltatio Sanctæ Crucis Cornelii
VII	f	xvii	15	Octava sanctæ Mariæ Nicomedis martyris
I	g	xvi	16	Luciæ et G[e]rminiani martyris
	A	xv	17	Lamberti episcopi et martyris
IX	b	xiiii	18	Ianuarii martyris
	c	xiii	19	Elegii episcopi et confessoris
XVII	d	xii	20	Faustinæ virginis Vigilia
VI	e	xi	21	Matthæi apostoli
	f	x	22	Mauritii cum sociis eius Emmerami martyris
XIII	g	ix	23	Theclæ virginis
III	A	viii	24	Gerardi episcopi et martyris
	b	vii	25	Cleophæ virginis et martyris
XI	c	vi	26	Cypriani et Iustinæ martyrum
XIX	d	v	27	Cosmæ et Damiani martyrum
	e	iiii	28	Venceslai ducis et martyris
VIII	f	iii	29	Michaelis archangeli
	g	pridie	30	Hieronimi presbyteri et confessoris Dies animarum

KLAUREUS
NUMERUS**Refutans****OCTOBER** habet dies triginta unum. Luna vero viginti novem.

XVI	A	Kalendis Octobris	1	Remigii, Germani, Vedasti pontificum
V	b	vi Nonas Octobris	2	Leodegari episcopi et martyris
XIII	c	v	3	Supplicii et Serviliani martyrum d. v.
II	d	iiii	4	Francisci confessoris
	e	iii	5	Romani episcopi et martyris
X	f	pridie	6	Stanislai episcopi Cracoviensis et martyris
	g	Nonis	7	Marci, Marcelli, Apulei, Sergii, Bacchi martyrum
XVIII	A	viii Idus Octobris	8	Benedictæ virginis
VII	b	vii	9	Dionysii et sociorum eius
	c	vi	10	Gereonis et sociorum eius martyrum
XV	d	v	11	Translatio sancti Augustini
III	e	iiii	12	Quattuor milium martyrum
	f	iii	13	Colomani martyris
XI	g	pridie	14	Callixti ¹ papæ et martyris Cerbonii confessoris
I	A	Idibus	15	Leonardi confessoris Hedvigæ ducissæ Poloniæ
	b ²	xvii Kalendas Novembris	16	Galli confessoris Sigismundi regis
IX	c	xvi	17	Marthæ, hospitæ Domini Florentini episcopi
	d	xv	18	Luçæ evangelistæ Sol in Scorpione
XVI	e	xiiii	19	Columbani presbyteri
VI	f	xiii	20	Caprasii martyris
	g	xii	21	Undecim milium virginum
XVIII	A	xi	22	Severii episcopi et confessoris
III	b	x	23	Severini episcopi et confessoris et martyris
	c	ix	24	Maglorii episcopi et confessoris
XI	d	viii	25	Crispini et Crispiniani martyrum
XIX	e	vii	26	Demetrii martyris
	f	vi	27	Vedasti et Amandi martyrum Vigilia
VIII	g	v	28	Simonis et Iudæ apostolorum
	A	iiii	29	Narcisci episcopi et martyris
XVI	b	iii	30	Serapionis et Saturnini episcoporum
V	c	pridie	31	Quintini martyris Vigilia

¹ Ed. Calixii² Ed. d

KLAUREUS
NUMERUS**Sodalem**

NOVEMBER habet dies triginta. Luna vero triginta.

	d	Kalendis Novembris	1	Festum omnium sanctorum
XIII	e	iiii Nonas Novembris	2	Commemoratio animarum Eustachii cum sociis
II	f	iii	3	Huberti episcopi et confessoris Vitalis et Agricolaë martyrum d. v.
	g	pridie	4	Amandi confessoris
X	A	Nonis	5	Translatio sancti Emerici ducis et confessoris
	b	viii Idus Novembris	6	Translatio Adalberti episcopi et martyris Leonardi confessoris
XVIII	c	vii	7	Willibrordi episcopi et confessoris
VII	d	vi	8	Octava omnium sanctorum Quattuor coronatorum
	e	v	9	Theodori martyris
XV	f	iiii	10	Martini papæ et martyris
III	g	iii	11	Martini episcopi et confessoris
	A	pridie	12	
XII	b	Idibus	13	Brici ¹ episcopi et confessoris
I	c	xviii Kalendas Decembris	14	Clementini martyris
	d	xvii	15	Martini confessoris Eugenii episcopi
IX	e	xvi	16	Othmari abbatis et confessoris
	f	xv	17	Aniani episcopi et confessoris Sol in Sagittario
XVII	g	xiiii	18	Octava sancti Martini
VI	A	xiii	19	Elisabeth viduæ
	b	xii	20	Columbani episcopi et confessoris
XVIII	c	xi	21	Contentatio Mariæ Virginis
III	d	x	22	Theclæ virginis et martyris
	e	ix	23	Clementis papæ et martyris Caput hiemis
XI	f	viii	24	Chrysogoni martyris
XIX	g	vii	25	Catherinæ virginis et martyris
	A	vi	26	Lini papæ et martyris
VIII	b	v	27	Vitalis et Agricolaë martyris
	c	iiii	28	Ruffi martyris et sociorum eius
XVI	d	iii	29	Saturnini et Chrysantii martyrum Vigilia
V	e	pridie	30	Andreæ apostoli

¹ Ed. Bricii

KLAUREUS
NUMERUS**Tondete**

DECEMBER habet dies triginta unum. Luna vero viginti novem.

	f	Kalendis Decembris	1	Elegii episcopi et confessoris
XIII	g	iiii Nonas Decembris	2	Longini militis et martyris
II	A	iii	3	
	b	pridie	4	Barbaræ virginis et martyris
I	c	Nonis	5	Crispinæ virginis
	d	viii Idus Decembris	6	Nicolai episcopi et confessoris
XVIII	e	vii	7	Octava sancti Andreae
VII	f	vi	8	Conceptio Mariæ Virginis
	g	v	9	
XV	A	iiii	10	Eulaliæ virginis
III	b	iii	11	Damasi papæ et confessoris
	c	pridie	12	Pauli episcopi
XII	d	Idibus	13	Luciæ virginis Otiliæ virginis
I	e	xix Kalendas Ianuarii	14	Nicasii episcopi
	f	xviii	15	Valeriani martyris et Maximiani confessoris
IX	g	xvii	16	Trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, Misael
	A	xvi	17	Lazari episcopi et martyris
XVII	b	xv	18	
VI	c	xiiii	19	
	d	xiii	20	Vigilia
XIII	e	xii	21	Thomæ apostoli
III	f	xi	22	Theodosiæ virginis
	g	x	23	Eugeniæ virginis Victoriæ virginis
XI	A	ix	24	Vigilia
	b	viii	25	Nativitatis Domini nostri Iesu Christi
XIX	c	vii	26	Stephani protomartyris
VIII	d	vi	27	Ioannis apostoli et evangelistæ
	e	v	28	Sanctorum Innocentum
XVI	f	iiii	29	Thomæ episcopi et martyris
V	g	iii	30	Sabini episcopi et martyris
	A	pridie	31	Silvestri papæ et confessoris

**DE AUREO NUMERO (QUEM GRÆCI CYCLUM DECEMNOVALEM,
HEBRÆI LUNAREM APPELLANT) INVENIENDO**

AUREUS numerus dictus est, vel quod Romanis aureis litteris Kalendario inscriptus erat, vel propter eius summam utilitatem, quia per illum facile cognoscebatur novilunium, plenilunium et quartæ lunares cuiuscumque mensis.

Cyclus decemnovalis appellatur, quia eo exacto omnes lunationes redeunt fere ad priores dies mensis, quibus ante novemdecim annos fuerunt.

Cyclus lunaris vocatur, quod novam lunam ostendat.

TABELLA NUMERI AUREI

16	17	18	19	*	1	2	3	4	5
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

Si aureum numerum cuiuscumque anni propositi habere cupis, ingredi tabellam propositam, et post stellulam, ab unitate incipendo, numera annos Christi minores, id est, qui supra mille et quingentos usque ad præsentem tuum annum, et invenies aureum numerum.

Aut si mavis, breviori compendio ostendet tibi primus numerus sedecim aureum numerum pro anno 1554, septindecim pro anno 1555, octodecim anni 1556, novemdecim anni 1557. Et primus numerus post stellulam aureum numerum anni 1558, scilicet unus. Ita consequenter ad annum tuum propositum procedere poteris.

**DIEM CONIUNCTIONIS, OPPOSITIONIS ET QUARTARUM LUNÆ
EX KALENDARIO ROMANO INVESTIGARE**

AUREO numero invento, ut facile scias diem novilunii, plenilunii et quartarum lunæ (si sit vetus inscriptio aurei numeri, qui interea a tempore Iulii Cæsaris per dies quinque anticipavit), ab eo die in quo aureum numerum cuiuscumque mensis invenies, ascendendo numera quinque, et erit illo die novilunium, ab eo die postea descendendo numera octo, et habebis diem primæ quartæ crescentis lunæ, quindecim, et habebis diem plenilunii, viginti duo autem ostendet diem ultimæ quartæ lunæ decrescentis. Continget aliquando error ad diem unum: si igitur certum et præcisum tempus desideras, consule ephemerides ad annum tuum computatas.

DE CYCLO SOLARI ET LITTERA DOMINICALI INVENIENDA

* 26 C | 8 E | 18 F

27	B	9	D C	19	E
28	A	10	B	20	D
1	G F	11	A	21	C B
2	E	12	G	22	A
3	D	13	F E	23	G
4	C	14	D	24	F
5	B A	15	C	25	E D
6	G	16	B		
7	F	17	A G		

SUME numerum post natum Christum, et a principio iuxta stellulam tabulæ incipe numerationem, descendendo donec ad præsentem tuum annum pervenias, et numerus occurrens erit cyclus solaris. Littera autem versus dextram erit littera dominicalis. Aut brevius, iuxta stellulam numerus viginti sex erit cyclus solaris anni 1557, C vero littera dominicalis. Viginti septem cyclus solaris anni 1558, B littera dominicalis eiusdem anni etc. Eritque annus communis, si unica littera fuerit, sin duæ, erit annus bissextilis, et prior durabit usque ad vigesimum quartum Februarii, id est festum Matthiæ. Posterior autem per reliquam partem anni deserviet. Hoc interea etiam monendum est, quod finitis annis viginti octo, semper redeundum sit ad principium cum annis tunc currentibus.

NOTA

Anno nativitatis Christi fuit

aureus numerus:	2
cyclus solaris:	10
littera dominicalis:	B
indictio Romana:	4

INTERVALLUM ET DIES CONCURRENTES INQUIRERE

AUREUS NUMERUS	0	1	2	3	4	5	6	Dies residui Litteræ dominicales
1	8	8	8	8	7	7	7	
2	6	6	6	6	6	6	6	
3	9	9	9	9	9	8	8	
4	8	7	7	7	7	7	7	
5	6	6	6	6	5	5	5	
6	9	9	8	8	8	8	8	
7	7	7	7	7	7	6	6	
8	10	10	10	9	9	9	9	

9	8	8	8	8	8	8	7
10	7	7	6	6	6	6	6
11	9	9	9	9	9	9	9
12	8	8	8	7	7	7	7
13	6	6	6	6	6	6	5
14	9	9	9	9	8	8	8
15	7	7	7	7	7	7	7
16	6	6	6	5	5	5	5
17	9	8	8	8	8	8	8
18	7	7	7	7	6	6	6
19	10	10	9	9	9	9	9

SI intervallum et dies concurrentes inter festum Nativitatis et dominicam Esto mihi habere cupis, cum aureo numero antea invento, a sinistra ingrediere præscriptam tabulam versus dextram procedendo, similiter cum littera dominicali eiusdem anni in fronte tabulæ descendendo, et in quo numero coincident, iste indicabit intervallum. Numerus autem supra dominicalem litteram, dies concurrentes ostendet.

Si bissextilis fuerit annus, semper sequens littera in fronte tabulæ concurrentes dies demonstrat.

Ieiunia quattuor temporum anni:

Post Crux, post Cineres, post Spiritus atque Lucia,
sit tibi in angaria quarta sequens feria.

De quattuor temporibus anni:

Dat Clemens hiemem, dat Petrus ver Cathedratus,
æstuat Urbanus, autumnat Symphorianus.

De æquinocitiis et solstitiis anni:

Lampert, Gregori, nox est æquata diei.
Vitus, Lucia, sunt duo solstitia.

INCIPIIT OBSEQUIALE SEU BAPTISMALE SECUNDUM CHORUM ALMÆ ECCLESIAE STRIGONIENSIS

I. Initium sancti Evangelii secundum Ioannem

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat, et vita erat lux hominum. ¹Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.

¹ *Diplographia.*

II. Sequitur exorcismus salis et aquæ diebus dominicis per totum annum

1. *Primo legatur:*

Credo in Deum.

2. *[Versiculus:]*

☩. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

☩. Et salutare tuum da nobis.

3. [Exorcismus]:

EXORCIZO te, creatura salis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum et per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elisæum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus, te sumentibus, salus mentis et corporis, et effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersus fueris, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus. Per eum, qui venturus est.

4. [Oratio]: Oremus.

IMMENSAM clementiam tuam, omnipotens, æterne¹ Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam ad usum humani generis tribuisti, benedicere ✠ et sanctificare ✠ pro tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, ut quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omni-que impugnatione spiritalis nequitia. Per eum, qui venturus.

5. Exorcismus aquæ:

EXORCIZO te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, et in nomine Iesu Christi, Filii eiusdem, Domini nostri, et in virtute Spiritus ✠ Sancti, ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem Domini nostri, Iesu Christi. Qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

6. [Oratio:] Oremus.

DEUS, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, ut creatura, mysteriis tuis tibi serviens, ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, ut salubritas, per invocationem tui sancti nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per eum, qui.

7. Hic mittat sal in aquam:

FIAT hæc commixtio salis et aquæ pariter in nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, amen.

8. [Versiculus:]

℣. Vox Domini super aquas.

℟. Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

¹ Ed. æternæ

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

9. [Oratio:] Oremus.

DEUS invictæ virtutis auctor et insuperabilis imperii rex ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitas potenter expugnas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, ✠ ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem tui sancti nominis omnis infestatio immundi spiritus abiiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia Spiritus Sancti nobis, misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum ... eiusdem.

10.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum [spiritu tuo].

℣. Benedicamus Domino.

℟. [Deo gratias.]

11.

ET benedictio Dei ✠ Patris omnipotentis et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat et maneat super hanc creaturam salis et aquæ, amen.

12. «Responsorium» [Antiphona:]

Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

Ps. Miserere mei. Gloria.

13. [Versiculus:]

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. [Et salutare tuum da nobis.]

14. [Oratio:] Oremus.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Domine, per hanc sanctificatæ aquæ aspersionem, sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, fructum caritatis, hic et in æterna sæcula sæculorum. [℟.] Amen.

III. Ordo benedictionis nubentium, præcipue, quando fit cum sollemnitate

1. Incipiatur tali modo:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

2. Oratio:

BENEDIC, Domine, hos anulos, quos in nomine tuo benedicimus, ut, qui eos portaverint, in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et in tuo amore vivant et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum. Per Christum Dominum nostrum.

3. [Oratio:]

CREATOR et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, tu, Domine: mitte Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cælis super hos anulos, ut, armati virtute cælestis defensionis, illis, qui eos portaverint, proficiant ad salutem.

4. Hic asperge anulos, et pone in digitos sponsi et sponsæ, sicut decet:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

5.

Benedicti sitis a Domino, qui fecit mundum ex nihilo.

6. Preces:

℣. Manda, Deus, virtuti tuæ.

℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℣. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℟. Tibi offerent reges munera.

℣. Increpa feras harundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum.

℟. Qui probati sunt argento.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

7. [Oratio:] Oremus.

DEUS Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob: benedic ✠ adolescentes istos, et semina semen vitæ in mentibus eorum, ut quicquid pro sua utilitate didicerint, hoc facere cupiant. Per Dominum nostrum, Iesum Christum, recuperatorem hominum, Filium tuum Unigenitum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

8. Psalmus:

BEATI omnes, qui timent Dominum, *
 qui ambulant in viis eius.
 Labores manuum tuarum qui[a] manducabis, *
 beatus es et bene tibi erit.
 Uxor tua, sicut vitis abundans, *
 in lateribus domus tuæ.
 Filii tui, sicut novellæ olivarum, *
 in circuitu mensæ tuæ.
 Ecce, sic benedicetur homo, *
 qui timet Dominum.
 Benedicat tibi Dominus ex Sion, *
 et videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
 Et videas filios filiorum tuorum, *
 pacem super Israel.
 Gloria Patri.

9. [Preces]:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Salvum fac servum tuum et ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor [meus ad te veniat].

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

10. [Oratio:] Oremus.

RESPICE, quæsumus, Domine, de cælo sancto tuo super hanc conventionem, et sicut misisti angelum tuum Raphaellem pacificum Tobiaë et Saræ filiaë Raguelis,

ita digneris, Domine, mittere benedictionem super adolescentes istos, ut in tua voluntate permaneant, et in amore tuo vivant et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum. Per Christum Dominum nostrum.

11. Oratio:

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut, quod te auctore iungitur, te auxiliante servetur. Per Christum Dominum.

12. Oratio:

BENEDIC, ✠ Domine, Iesu Christe, hunc famulum et hanc famulam tuam, sicut benedixisti familias filiorum Israel per orationem Moysi, ut, venientes per mare rubrum in conspectu Pharaonis, salvi fierent, ita et hi in conspectu tuo salvi fiant in die iudicii. Per Christum.

13. [Benedictio:]

BENEDICAT ✠ vos Deus Pater, custodiat vos Iesus Christus, illuminet vos Spiritus Sanctus, ostendat Dominus faciem suam vobis, et misereatur vestri, et convertat Dominus vultum suum super vos, et det vobis pacem omnibus diebus vitæ vestræ, impleatque vos omni benedictione cælesti, in remissionem omnium peccatorum vestrorum, ut habeatis vitam æternam in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

COPULA SUPER VIDUAS

14. Oratio:

DEUS, per quem mulier viro iungitur, et societas, principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola, nec per originalis peccati, nec per diluvii ablata est sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali iungenda est consortio, tuaque se expetit benedictione ✠ muniri; sit in ea iugum dilectionis et pacis, fidelis et casta nubat in Christo; imitatrixque sanctarum permaneat feminarum; sit amabilis, ut Rachel, viro suo, sapiens, ut Rebecca, longæva et fidelis, ut Sara, nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet noxii; fide mandatisque permaneat thoro iuncta, contactus illicitos abiiciat, muniatque infirmitatem suam robore disciplinæ; sit fecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita; sit fecunda in sobole, sit proba et innocens, et ad beatorum requiem atque cælestia regna perveniat; et videat filios filiorum suorum usque ad tertiam et quartam et quintam progeniem, et ad optatam perveniat senectutem. Per Christum.

INTRODUCTIO SPONSÆ NOVÆ POST NUPTIAS

15. *Psalmus:*

DEUS misereatur nostri et benedicat nobis, *
 illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri,
 Ut cognoscamus in terra viam tuam, *
 in omnibus gentibus salutare tuum.
 Confiteantur tibi populi, Deus, *
 confiteantur tibi populi omnes.
 Lætentur et exsultent gentes, †
 quoniam iudicas populos in æquitate, *
 et gentes in terra dirigis.
 Confiteantur tibi populi, Deus, †
 confiteantur tibi populi omnes, *
 terra dedit fructum suum.
 Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, *
 et metuant eum omnes fines terræ.
 Gloria.

16. *[Preces:]*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Salvam fac ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

17. *[Oratio:]* Oremus.

DEUS, qui mortuam Saræ vulvam per Abrahæ, servi tui, semen fecundare dignatus es, ut etiam contra spem soboles nasceretur famulæ tuæ pro sua sterilitate: propitius respice, ut iuxta præcedentium partum et fecunditatem tribuas, et prolem, quam donaveris, benedicas. Per Christum.

18. Da postea stolam sponsæ, et dic:

INGREDERE in domum Domini, et adora Filium Virginis, ut tibi fecunditatem prolis tribuat. Per Christum.

**TUNC INCIPIATUR MISSA DE SANCTA TRINITATE,
VEL MISSA NUPTIALIS**

19. Introitus pro sponso et sponsa:

Deus Israel coniungat vos, et ipse sit vobiscum, qui misertus est duobus eunuchis; et tunc, Domine, fac eos plenius benedicere. Ps. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulat in viis eius. V. Gloria.

20. Oratio:

DEUS, qui tam excellenti ministerio coniugalem nuptiam consecrasti, ut Christi et Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum: præsta, quæsumus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per Dominum.

21. Ad Corinthios (1,6)

FRATRES. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam, qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Quia autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

22. Graduale:

Uxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. V. Filii tui, sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

23.

Alleluia. V. Mittat vobis Dominus auxilium de sancto, et de Sion tueatur vos.

24. Secundum Matthæum (19)

IN illo tempore. Accesserunt ad Iesum pharisæi, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quias qui fecit hominem ab initio, masculinum et feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo

in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.

25. *Offertorium:*

In te speravi, Domine, dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

26. *Secreta:*

SUSCIPE, quæsumus, Domine pro sacra conubii lege munus oblatum, et cuius largitor es muneris, esto dispositor. Per Christum.

27. *Communio:*

Ecce, benedicetur omnis homo, qui timet Dominum; et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

28. *Complenda:*

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio favore comitare, et hos, legitima societate connexos, longæva pietate custodi. Per Christum.

IV. Incipit catechismus puerorum

1. *Primo interroga nomen infantis sic:*

Quis vocaris? **R.** N.

2. *Deinde:*

Abrenuntias Satanæ? **R.** Abrenuntio.

Et omnibus operibus eius? **R.** Abrenuntio.

Et omnibus pompis eius? **R.** Abrenuntio.

3. *Deinde interroget eum de fide catholica:*

N., credis in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ? **R.** Credo.

Credis et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum et passum? **R.** Credo.

Credis in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam post mortem? **R.** Credo.

4. *Deinde exsufflet in faciem pueri:*

EXI ab eo, Satana, da honorem Deo vivo et vero; exi, immunde spiritus, da honorem Iesu Christo, Filio eius, fuge immunde spiritus, da locum Spiritui Paraclito.

5. Deinde faciat crucem in fronte:

Signum sanctæ Crucis ✠ Domini nostri, Iesu Christi, in frontem tuam pono.

6. Deinde faciat crucem in pectore:

Signum Salvatoris Domini nostri, Iesu Christi, in pectus ✠ tuum pono.

7. Deinde faciat signum crucis in fronte et in pectore, dicendo:

ACCIPE signum sanctæ Crucis tam in fronte, ✠ quam in pectore; ✠ sume fidem cælestium præceptorum, talis esto moribus, ut templum Dei iam esse possis, ingressusque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce, horresce idola, respue simulacra, cole Deum patrem omnipotentem, et Iesum Christum, Filium eius. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

8. Super utrumque:

TE deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo **N.**, qui in huius sæculi nocte vagatur incertus et dubius, viam veritatis et agnitionis tuæ iubeas demonstrari, quatenus, reseratis oculis cordis sui, te unum Deum, Patrem in Filio, et Filium cum Spiritu Sancto in Patre recognoscat, atque huius confessionis fructum hic et in futuro sæculo percipere mereatur. Per Dominum ... eiusdem.

9. Super utrumque:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, Pater Domini nostri, Iesu Christi: respicere dignare super hunc famulum tuum **N.**, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ, ut, signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, et ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, percepta medicina. Per Christum Dominum nostrum.

10. Super utrumque:

PRECES nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum, **N.**, crucis dominicæ, cuius impressione ✠ eum signamus, virtute custodi, ut, magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur.¹ Per Christum.

11. Super utrumque:

DEUS, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator: propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem novæ prolis adscribe, ut filii pro-

¹ *Ed.* mereamur

missionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se percepisse per gratiam.

12. *Exorcismus salis:*

EXORCIZO te, creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, ✠ et in caritate Domini nostri, Iesu ✠ Christi, et in virtute Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo, venienti ad credulitatem, per servos suos consecrari præcepit: in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum, ad effugandum inimicum — Proinde rogamus te, Domine, Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando ✠ sanctifices, benedicendo benedicas, ✠ ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri, Iesu Christi. Qui venturus.

13. *[Oratio:]*

BENEDIC, omnipotens Deus, hanc creaturam salis tua benedictione cælesti, in nomine Domini nostri, ✠ Iesu Christi, et in virtute Spiritus ✠ Sancti, ad effugandum inimicum, quam sanctificando sanctifices, ✠ benedicendo ✠ benedicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus sumentium, in nomine Domini nostri, Iesu Christi. Qui venturus est.

14. *Hic pone de sale in os pueri:*

ACCIPE salem sapientiæ, per quod propitiatus sit tibi Dominus in vitam æternam, amen.

15. *Super utrumque, oratio:*

DEUS patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ: te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum, **N.**, respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur cælesti, quatenus semper sit, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo nomini serviens; perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum.

16. *Hic faciat crucem in fronte infantis, et dicat:*

✠. Dominus vobiscum.

✠. [Et cum spiritu tuo.]

17. *[Oratio:] Oremus.*

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui Moysi, famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, ut similiter custodiat, et hunc famulum tuum, **N.**, et perduc eum ad gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum.

[ADIURATIO SUPER INFANTES]

18. *Adiuratio ad utrumque:*

ERGO, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo, Filio eius, et Spiritui Sancto Paraclito, ut recedas ab hoc famulo Dei, **N.**, quia istum sibi Deus et Dominus noster, Iesus Christus, ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum sanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per Christum.

19. *Super feminas:*

DEUS cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, et omne genu flectitur, cælestium, terrestrium et infernorum: te invoco, Domine, super hanc famulam tuam, **N.**, ut perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Per eum. — Ergo, maledicte, *ut supra.*

20. *Super masculos:*

DEUS immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco, Domine, super hunc famulum tuum, **N.**, qui, baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiritali regeneratione desiderat, accipe eum, Domine, et quia dignatus es dicere: Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis petentibus; petenti itaque præmium porrige, et ianuam pande pulsanti, ut, æternam cælestis lavacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Deo Patre et Spiritu. — Ergo, maledicte diabole, *ut supra.*

21. *Super feminas:*

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui tribus Israel, de Ægyptiaca servitute liberatas, per Moysen, famulum tuum, de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor, Domine, ut liberes hanc famulam tuam, et perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Per Christum. — Ergo, maledicte, *ut supra.*

22. *Super masculos:*

EXORCIZO te, immunde spiritus, in nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, ut ex eas et recedas ab hoc famulo Dei, **N.**, ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatruiduanum Lazarum de monumento suscitavit. Qui venturus. — Ergo, maledicte, *ut supra.*

23. *Super utrumque:*

ÆTERNAM ac mitissimam pietatem tuam deprecor, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, luminis et veritatis auctor, ut super hunc famulum tuum, **N.**, benedictionem infundas, et digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum et sanctifica, da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendum gratiam baptismi tui. Per eum, qui venturus est iudicare.

24. *Super feminas:*

EXORCIZO te, immunde spiritus, in nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, ut ex eas et recedas ab hac famula Dei, **N.**, ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate atque damnande, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit. Qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

25. *Super utrumque:*

AUDI, maledicte Satanas, adiuratus per nomen æterni Dei, et Salvatoris nostri, Iesu Christi, Filii eius, et cum tua victus invidia tremens gemensque discede, nihil tibi sit commune cum servo Dei, **N.**, iam cælestia cogitanti, renuntiaturus tibi ac sæculo tuo, et beata immortalitate victuro; da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui, ex summa cæli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, id es sanctificatum Deo templum et habitaculum perficiat, ut, ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus, hic servus Dei, **N.**, gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen eius sanctum in sæcula sæculorum, amen.

26. *Secundum Matthæum (19)*

IN illo tempore. Oblati sunt Iesu parvuli, ut manus eis imponeret et oraret, discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait illis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

27. *Legas:*

Pater noster. Credo in Deum Patrem.

28. *Deinde pone manum super caput pueri, et dic:*

NEC te lateat, Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est, velut clibanus ardens, in quo tibi atque universis angelis tuis erit præparatus interitus sempiternus; ideo pro tua nequitia, damnate atque damnande, da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo, Filio eius, et Spiritui Sancto Paraclito, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut ex eas et recedas ab hoc famulo Dei, **N.**, quem hodie idem Deus et Dominus noster, Iesus Christus, ad suam

sanctam gratiam atque benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, ut fiat ei templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri, Iesu Christi. Qui venturus.

29. *Hic tangat ter aures et nares de sputo cum pollice, et dicat ad aurem dexteram:*

Effeta, quod est adaperire *Deinde ad nares:* in odorem suavitatis, *Deinde ad aurem sinistram:* tu autem, diabole, effugare, appropinquabit enim iudicium Dei.

30. *Hic infantem introducat in ecclesiam, dicens:*

INGREDERE in templum Dei sine impedimento Satanæ, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum, amen.

31.

ET benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat, et maneat semper tecum, amen.

32. *Deinde aspergatur puer aqua benedicta.*

INCIPIT BAPTISMUS CIRCA FONTEM

33. *Interrogando nomen infantis:*

N., abrenuntias Satanæ? *R.* Abrenuntio.
Et omnibus operibus eius? *R.* Abrenuntio.
Et omnibus pompis eius? *R.* Abrenuntio.

34. *Hic faciat crucem de oleo sancto in pectore et inter scapulas, sic dicendo:*

N., et ego te linio oleo salutis in pectore ✠ et inter scapulas ✠ in Christo Iesu, Domino nostro, in vitam æternam, amen.

35. *Interrogato nomine infantis, dicat sacerdos:*

N., credis in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ? *R.* Credo.
Credis et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum et passum? *R.* Credo.
Credis in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam post mortem? *R.* Credo.

36. *Deinde interroget infantem:*

N., vis baptizari? *R.* Volo.

38. Tunc mergat puerum, et dicat:

EGO te baptizo in nomine Patris *Mergat secundo:* et Filii *Mergat tertio:* et Spiritus Sancti.

39. Postquam elevaverit infantem de fonte, dicat:

DEUS omnipotens, Pater Domini nostri, Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, *Deinde in vertice capitis cum chrismate crucem faciat, dicendo:* ipse te liniat chrismate ✠ salutis in Christo Iesu, Domino nostro, in vitam æternam, amen.

40. Hic super caput infantis ponatur chrismale vel panniculus, ad ea præparatus, dicendo:

ACCIPE vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri, Iesu Christi, ut habeas vitam æternam, amen.

41.

℣. Pax tecum.

℟. Et cum spiritu tuo.

42. Hic detur candela ardens ad manum dexteram, dicendo:

ACCIPE lampadem ardentem, irreprehensibilem, et custodi baptismum tuum, ut, cum Dominus ad nuptias venerit, possis ei occurrere obviam una cum sanctis in aula cælesti, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum, amen.

43.

℣. Pax tecum.

℟. Et cum spiritu tuo.

INTRODUCTIO MULIERIS POST PARTUM

44. Psalmus:

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis, *
 illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri,
 Ut cognoscamus in terra viam tuam, *
 in omnibus gentibus salutare tuum.
 Confiteantur tibi populi, Deus, *
 confiteantur tibi populi omnes.
 Lætentur et exsultent gentes, †
 quoniam iudicas populos in æquitate, *
 et gentes in terra dirigis.
 Confiteantur tibi populi, Deus, †
 confiteantur tibi populi omnes, *
 terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, *
 et metuant eum omnes fines terræ.
 Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

45. Psalmus:

LEVAVI oculos meos in montes: *
 Unde veniet auxilium mihi?
 Auxilium meum a Domino, *
 qui fecit cælum et terram.
 Non det in commotionem pedem tuum, *
 neque dormitet, qui custodit te.
 Ecce, non dormitabit neque dormiet, *
 qui custodit Israel.
 Dominus custodit te, Dominus protectio tua *
 super manum dexteram tuam.
 Per diem sol non uret te, *
 neque luna per noctem.
 Dominus custodit te ab omni malo, *
 custodiat animam tuam Dominus.
 Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, *
 ex hoc nunc et usque in sæculum.
 Gloria Patri.

46. Psalmus:

AD te levavi oculos meos, *
 qui habitas in cælis.
 Ecce, sicut oculi servorum *
 in manibus dominorum suorum,
 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, *
 ita oculi nostri ad Dominum, Deum nostrum,
 donec misereatur nostri.
 Miserere nostri, Domine, miserere nostri, *
 quia multum repleti sumus despectione,
 Quia multum repleta est anima nostra, *
 opprobrium abundantibus et despectio superbis.
 Gloria Patri.

47. Psalmus:

BEATI omnes, qui timent Dominum, *
 qui ambulant in viis eius.
 Labores manuum tuarum quia manducabis, *
 beatus es et bene tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abundans, *
 in lateribus domus tuæ.
 Filii tui, sicut novellæ olivarum, *
 in circuitu mensæ tuæ.
 Ecce, sic benedicetur homo, *
 qui timet Dominum.
 Benedicat tibi Dominus ex Sion, *
 et videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
 Et videas filios filiorum tuorum, *
 pacem super Israel.
 Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

48. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. Et ne [nos inducas in tentationem].

℟. [Sed libera nos a malo.]

℣. Salvam fac ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

49. [Oratio:] Oremus.

DEUS, qui per Moysen, famulum tuum, Israeliticæ plebi mandasti, ut mulier, quæ filium vel filiam pareret, quadraginta diebus se ab ingressu templi sequestraret: dignare, Domine, hanc famulam tuam ab omni inquinamento peccati mundare, quatenus in operibus mandatorum tuorum in corpore mundato et mente sincera sinum matris Ecclesiæ mereatur introire, et hostias pacificas pro suis delictis offerre. Per Christum Dominum nostrum.

50. Oratio:

OMNIPOTENS, sempiternæ Deus et Pater Domini nostri, Iesu Christi, Sabaoth, qui tuum Unigenitum una cum matre sua, semper Virgine Maria, post quadraginta dierum spatium in templo præsentasti: benedicere ✠ digneris hanc famulam tuam post partum, tibi, Domino, Deo nostro, quam ad templum tuum purificandi gra-

tia præsentasti; concede propitius, ut, sicut eam per nostrum officium templum istud terrenum introducimus, sic post finem vitæ præsentis templum cæleste mereatur introire. Per eum, qui venturus est iudicare.

51. *Hic stolam det ad manus, dicendo:*

INGREDERE in domum Dei benedicta, et adora Filium Virginis, qui tibi fecunditatem prolis tribuat, Iesum Christum, Dominum nostrum, mediatorem Dei et hominum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit.

52. *Secundum Lucam (2. capitulum):*

IN illo tempore. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini: Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce, homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et, cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

V. Sequitur ordo ad inungendum infirmos

1. *Primo, quando intrat domum cum oleo sancto, dicat:*

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

2. *Deinde dicat septem psalmos cum litania, videlicet psalmus:*

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, *
neque in ira tua corripas me.
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, *
sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea turbata est valde. *
Sed tu, Domine, usquequo?
Convertere, Domine, et eripe animam meam, *
salvum me fac propter misericordiam tuam,
Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. *
In inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, †
 lavabo per singulas noctes lectum meum, *
 lacrimis meis stratum meum rigabo.
 Turbatus est a furore oculus meus, *
 inveteravi inter omnes inimicos meos.
 Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem, *
 quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
 Exaudivit Dominus deprecationem meam, *
 Dominus orationem meam suscepit.
 Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, *
 convertantur et erubescant valde velociter.
 Gloria Patri et Filio et Spiritui.

3. Antiphona:

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

4. Psalmus:

BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates, *
 et quorum tecta sunt peccata.
 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, *
 nec est in spiritu eius dolus.
 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, *
 dum clamarem tota die.
 Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, *
 conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.
 Delictum meum cognitum tibi feci, *
 et iniustitiam meam non abscondi.
 Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, *
 et tu remisisti impietatem peccati mei.
 Pro hac orabit ad te omnis sanctus *
 in tempore opportuno.
 Verumtamen in diluvio aquarum multarum *
 ad eum non approximabunt.
 Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, *
 exultatio mea, erue me a circumdantibus me.
 Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, *
 firmabo super te oculos meos.
 Nolite fieri, sicut equus et mulus, *
 quibus non est intellectus.
 In camo et freno maxillas eorum constringe, *
 qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, *

sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exultate, iusti, *

et gloriamini, omnes recti corde.

Gloria Patri et Filio et Spiritui.

6. Antiphona:

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audisset, quia Iesus veniret in Galilæam, rogabat eum, ut sanaret filium eius.

7. Psalmus:

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, *
neque in ira tua corripas me,

Quoniam saggitæ tuæ infixæ sunt mihi, *

et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, *

non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum,

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, *

et, sicut onus grave, gravatæ sunt super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ *

a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, *

tota die contristatus ingrediebar,

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, *

et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis, *

rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum, *

et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea *

et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei *

adversum me appropinquerunt et steterunt.

Et, qui iuxta me erant, de longe steterunt, *

et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et, qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, *

et dolos tota die meditabantur.

Ego autem, tamquam surdus, non audiebam, *

et, sicut mutus, non aperiens os suum.

Et factus sum, sicut homo non audiens, *

et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi, *

tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, *
 et, dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt,
 Quoniam ego in flagella paratus sum, *
 et dolor meus in conspectu meo semper,
 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, *
 et cogitabo pro peccato meo.
 Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, *
 et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.
 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, *
 quoniam sequebar bonitatem.
 Ne derelinquas me, Domine, Deus meus, *
 ne discesseris a me.
 Intende in adiutorium meum, *
 Domine, Deus salutis meæ.
 Gloria Patri et Filio.

8. Antiphona:

Domine, descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit.

9. Psalmus:

MISERERE mei, Deus, *
 secundum magnam misericordiam tuam.
 Et secundum multitudinem miserationum tuarum *
 dele iniquitatem meam.
 Amplius lava me ab iniquitate mea, *
 et a peccato meo munda me,
 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, *
 et peccatum meum contra me est semper.
 Tibi soli peccavi et malum coram te feci, *
 ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum iudicaris.
 Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, *
 et in peccatis concepit me mater mea.
 Ecce enim, veritatem dilexisti, *
 incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
 Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, *
 lavabis me, et super nivem dealbabor.
 Auditui meo dabis gaudium et lætitiā, *
 et exsultabunt ossa humiliata.
 Averte faciem tuam a peccatis meis, *
 et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, *
 et spiritum rectum innova¹ in visceribus meis.
 Ne proicias me a facie tua, *
 et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
 Redde mihi lætitiā salutaris tui, *
 et spiritu principali confirma me.
 Docebo iniquos vias tuas, *
 et impii ad te convertentur.
 Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, *
 et exaltabit lingua mea iustitiā tuam.
 Domine, labia mea aperies, *
 et os meum annuntiabit laudem tuam.
 Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem, *
 utique holocaustis non delectaberis.
 Sacrificium Deo spiritus contribulatus, *
 cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.
 Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, *
 ut ædificentur muri Ierusalem.
 Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta, *
 tunc imponent super altare tuum vitulos.
 Gloria Patri.

10. Antiphona:

Cor contritum et humiliatum ne despicias, sed propter magnam misericordiam miserere mei, Deus.

11. Psalmus:

DOMINE, exaudi orationem meam, *
 et clamor meus ad te veniat.
 Non avertas faciem tuam a me, *
 in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
 In quacumque die invocavero te, *
 velociter exaudi me,
 Quia defecerunt sicut fumus dies mei, *
 et ossa mea, sicut cremium, aruerunt.
 Percussus sum, ut fenum, et aruit cor meum, *
 quia oblitus sum comedere panem meum.
 A voce gemitus mei *
 adhæsit os meum carni meæ.
 Similis factus sum pellicano solitudinis, *
 factus sum, sicut nycticorax in domicilio.

¹ Ed. innova

Vigilavi, *
et factus sum, sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei, *
et, qui laudabant me, adversum me iurabant,
Quia cinerem, tamquam panem, manducabam, *
et poculum meum cum fletu miscebam,
A facie iræ indignationis tuæ, *
quia elevans allisisti me.
Dies mei sicut umbra declinaverunt, *
et ego, sicut fenum, arui.
Tu autem, Domine, in æternum permanes, *
et memoriale tuum in generatione et generationem.
Tu exurgens misereberis Sion, *
quia tempus miserendi eius, quia venit tempus,
Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, *
et terræ eius miserebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, *
et omnes reges terræ gloriam tuam,
Quia ædificavit Dominus Sion, *
et videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium, *
et non sprexit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera, *
et populus, qui creabitur, laudabit Dominum,
Quia prospexit de excelso sancto suo, *
Dominus de cælo in terram aspexit,
Ut audiret gemitus compeditorum, *
ut solveret filios interemptorum,
Ut annuntient in Sion nomen Domini, *
et laudem eius in Ierusalem,
In conveniendo populos in unum, *
et reges ut serviant Domino.
Respondit ei in via virtutis suæ: *
Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
Ne revoces me in dimidio dierum meorum *
in generatione et generationem anni tui.
Initio tu, Domine, terram fundasti, *
et opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes, *
et omnes, sicut vestimentum, veterascent.
Et, sicut opertorium, mutabis eos, et mutabuntur, *
tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, *
 et semen eorum in sæculum dirigetur.
 Gloria Patri et.

12. Antiphona:

Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, et curabo eum.

13. Psalmus:

DE profundis clamavi ad te, Domine, *
 Domine, exaudi vocem meam.
 Fiant aures tuæ intendentes *
 in vocem deprecationis meæ.
 Si iniquitates observaveris, Domine, *
 Domine, quis sustinebit?
 Quia apud te propitiatio est, *
 et propter legem tuam sustinui te, Domine.
 Sustinuit anima mea in verbo eius, *
 speravit anima mea in Domino.
 A custodia matutina usque ad noctem *
 speret Israel in Domino,
 Quia apud Dominum misericordia, *
 et copiosa apud eum redemptio.
 Et ipse redimet Israel *
 ex omnibus iniquitatibus eius.
 Gloria.

14. Antiphona:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

15. Psalmus:

DOMINE, exaudi orationem meam, †
 auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, *
 exaudi me in tua iustitia.
 Et non intres in iudicium cum servo tuo, *
 quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens,
 Quia persecutus est inimicus animam meam, *
 humiliavit in terra vitam meam.
 Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi, †
 et anxiatus est in me spiritus meus, *
 in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, †
 meditatus sum in omnibus operibus tuis, *
 et in factis manuum tuarum meditabar.
 Expandi manus meas ad te, *
 anima mea, sicut terra sine aqua, tibi.
 Velociter exaudi me, Domine, *
 defecit spiritus meus.
 Non avertas faciem tuam a me, *
 et similis ero descendentibus in lacum.
 Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, *
 quia in te speravi.
 Notam fac mihi viam, in qua ambulem, *
 quia ad te levavi animam meam.
 Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi, *
 doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, *
 propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.
 Educes de tribulatione animam meam, *
 et in misericordia tua disperdes inimicos meos.
 Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, *
 quoniam ego servus tuus sum.
 Gloria Patri.

16. Antiphona:

Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum, et curabantur.

17. Sequitur litania:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Salvator mundi. Adiuva eum, Domine.	Sancte Andrea. Ora pro eo.
Sancta Maria. Ora pro eo.	Omnes sancti apostoli et evangelistæ.
Sancta Dei Genitrix. Ora pro eo.	Orate pro eo.
Sancta Virgo virginum. Ora pro eo.	Sancte Stephane. Ora pro eo.
Sancte Michael. Ora pro eo.	Sancte Laurenti. Ora pro eo.
Sancte Gabriel. Ora pro eo.	Sancte Georgi. Ora pro eo.
Sancte Raphael. Ora pro eo.	Omnes sancti martyres. Orate pro eo.
Omnes sancti angeli et archangeli.	Sancte Silvester. Ora pro eo.
Orate pro eo.	Sancte Martine. Ora pro eo.
Sancte Ioannes Baptista. Ora pro eo.	Sancte Nicolae. Ora pro eo.
Omnes sancti patriarchæ et prophetæ.	Omnes sancti confessores.
Orate pro eo.	Orate pro eo.
Sancte Petre. Ora pro eo.	Sancta Maria Magdalena. Ora pro eo.
Sancte Paule. Ora pro eo.	Sancta Agatha. Ora pro eo.

Sancta Margarita. Ora pro eo.
 Omnes sanctæ virgines et viduæ.
 Orate pro eo.
 Omnes sancti. Orate pro eo.
 Propitius esto. Libera eum, Domine.
 Propitius esto. Parce ei, Domine.
 Ab omni malo. Libera eum, Domine.
 Ab ira tua. Libera eum, Domine.
 Per adventum et nativitatem tuam.
 Libera eum, Domine.
 Per passionem et sanctam Crucem tuam.
 Lib[e]ra eum, Domine.
 Per gloriosam resurrectionem et
 admirabilem ascensionem tuam.
 Libera eum, Domine.
 Per adventum Spiritus Sancti Paracliti.
 Libera eum, Domine.
 In die iudicii. Libera eum, Domine.
 Peccatores. Te rogamus, audi nos.
 Ut sanitatem ei dones.
 Te rogamus, audi nos.

Ut a præsentis periculo et infirmitate eum
 liberare digneris. Te rogamus,
 audi nos.
 Ut ab ardore febrium eum liberare
 digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut a morte perpetua eum liberare
 digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut indulgentiam omnium peccatorum
 suorum ei dones. Te rogamus,
 audi nos.
 Ut eum exaudire digneris.
 Te rogamus, audi nos.
 Ut eum custodire digneris.
 Te rogamus, audi nos.
 Fili Dei. Te rogamus, audi nos.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Miserere ei, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Parce ei, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Dona ei pacem et sanitatem.
 Christe, audi nos.

18. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus [ad te veniat].

19. Oratio:

OMNIPOTENS sempiternus Deus, qui per beatum Iacobum, apostolum tuum, in-
 ducere presbyteros Ecclesiæ et ungere infirmos præcepisti: præsta, quæsumus,

ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum infirmum de oleo sanctificato un-
gere et benedicere, ✠ et quod fideliter postulantes exterius amplectimur, hic interius
spiritualiter divina tua virtus invisibiliter operetur. Per Christum.

20. Oratio:

DOMINE, Deus, qui per apostolum tuum Iacobum locutus es, dicens: Infirmatur,
quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum
oleo sancto in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum
Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei: cura quæsumus, Redemptor noster, gra-
tia Spiritus Sancti languores huius infirmi, et sua sana vulnera, eiusque dimitte pecca-
ta, atque dolores cunctos cordis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exte-
rius sanitatem misericorditer redde, ut, ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina
reparetur officia. Per Christum Dominum.

21. Hic, imponens sacerdos manus super infirmum, dicat:

IN nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti exstinguatur in te omnis virtus diaboli
per impositionem manuum nostrarum, immo per invocationem omnium sancto-
rum angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, marty-
rum, confessorum, virginum omniumque sanctorum, amen.

22. Hic inunge cum pollice de oleo sancto, sicut scis, dicens: Primo ad oculos:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Do-
minus, quicquid oculorum vitio deliquisti, amen.

23. Ad aures:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi
Dominus, quicquid aurium vitio deliquisti.

24. Ad nares:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Do-
minus, quicquid narium vitio deliquisti, amen.

25. Ad labia:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Do-
minus, quicquid linguæ vel oris vitio deliquisti, amen.

26. Ad manus:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Do-
minus, quicquid tactu manuum seu carnis vitio deliquisti, amen.

27. Ad pedes:

PER istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid incessu pedum aut lumborum vitio deliquisti, amen.

28. Oratio:

RESPICE, quæsumus, Domine, famulum tuum, **N.**, in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove, quam creasti, ut, castigationibus emendatus, se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum.

29. Oratio:

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui, benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum, ab ægritudine liberatum, et sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ sanctisque tuis altaribus cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum.

30. Oratio:

DOMINUS Iesus Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te reficiat, circa te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te deducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te benedicat. Cui honor est in sæcula sæculorum, amen.

31. Collectæ sequentes de necessitate non sunt, sed, si quis eas vult legere ex devotione, potest. Oratio:

DEUS, qui peccatores, scelerum pondere gravatos, sacerdotibus tuis se ostendere iussisti; Deus, qui discipulis manus super infirmos ponere, ut bene haberent, præcepisti; Deus, qui per apostolum tuum, Iacobum, infirmos sacro oleo inungere, et pro eis rogare docuisti; Deus, qui per impositionem manuum sacerdotum cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxare voluisti: exaudi orationes nostras, et da huic famulo tuo, infirmitatis pondere presso, per hoc sacrum mysterium, quod nobis, indignis famulis tuis, agere præcepisti, remissionem omnium peccatorum, quatenus per hanc sacrati olei unctionem et manuum nostrarum impositionem cuncta ei facinora Sancti Spiritus gratia relaxentur, venia impetretur, sanitas animæ et corporis restituantur; et non plus ei noceat conscientia reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis atque remissionis conferat ad reconciliationem et veniam. Per.

32. Oratio:

DEUS, qui famulo tuo, Ezechiæ, ter quinos annos ad vitam donasti: ita et famulum tuum, **N.**, a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per Christum.

33. Oratio:

DEUS, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum, **N.**, ex adversa valetudine corporis labo-

rantem, placatus respice, et visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam. Per Christum.

34. Oratio:

DEUS, qui beatum Petrum apostolum misisti ad Thabitam famulam tuam, ut eius precibus suscitaretur ad vitam: exaudi nos quæsumus, et famulo tuo, **N.**, quem in nomine tuo visitat nostra fragilitas, exorata medicina, tua medela subveniat. Per Christum.

35. Oratio:

EXAUDI nos, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, et visitationem tuam conferre dignare super hunc famulum tuum, **N.**, quem diversa versat infirmitas: visita eum, Domine, sicut visitare dignatus es sanctum Petrum, et puerum centurionis, et Tobiam et Saram per angelum tuum sanctum, Raphaellem, et ita eum restituas ad pristinam sanitatem, ut mereatur in atrio domus tuæ dicere proprio ore: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Per Christum Dominum.

36. Oratio:

DEUS, qui humano generi et salutis remedium et vitæ æternæ munera contulisti: quarum dona virtutum conserva famulo tuo, **N.**, et concede, ut non solum in corpore, sed etiam in anima medelam tuam sentiat. Per Christum.

37. Oratio:

VIRTUTUM cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius famulo tuo, **N.**, ut, fugatis infirmitatibus, et viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christum Dominum.

38. Oratio:

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ, infusa virtutis tuæ dignatione, confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra et membra vegetentur: super hunc famulum tuum, **N.**, propitius intende, ut, omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum.

39. Oratio:

MISERERE iam, quæsumus, Domine, famulo tuo, et, continuis tribulationibus laborantem, propitius respirare concede. Per Christum.

40. Oratio:

SANET te, Deus Pater omnipotens, amen. Sanet te Christus, Filius Dei vivi et altissimi, amen. Sanet te Spiritus Sanctus, amen. Sanent te angeli et archangeli, amen.

Sanent te patriarchæ et prophetæ, amen. Sanent te apostoli et martyres, amen. Sanent te confessores et virgines, amen. Sanent te omnes sancti et electi Dei ab omni dolore, ab omni tribulatione, ab omni infirmitate, ab omni languore, ab omni offensione, ab omni plaga, amen. Nomenque Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti sit benedictum in te, et nomen Iesu Christi atque omnium sanctorum sit signatum super te, amen.

41. *Benedictio:*

BENEDICAT ✠ te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, amen. Benedicat ✠ te Deus Filius, qui a paterna sede pro te salvando descendit, amen. Benedicat ✠ te Spiritus Sanctus, qui in specie columbæ in Iordanis fluvio in Christo requievit, amen. Ipse te in Trinitate et Unitate sanctificet, quem omnes venturum exspectant iudicem, viventem et regnantem in sæcula sæculorum, amen.

42. *Benedictio:*

BENEDICAT ✠ te Deus Pater, qui te creavit in carne, amen. Sanet te Deus Filius, qui pro te passus est in cruce, amen. Illuminet te Deus Spiritus Sanctus, qui in te effusus est in baptismo, amen. Sancta Trinitas sit semper tecum omnibus diebus vitæ tuæ, amen. Corpus tuum custodiat et irradiet, sensum tuum dirigat, animam tuam salvet, et ad supernam vitam te perducatur Iesus Christus, Dominus noster. Qui cum Patre.

43. *Benedictio:*

BENEDICAT ✠ te Deus Pater, et custodiat te. Illuminet Dominus Iesus faciem suam super te, et misereatur tui, et convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Qui vivit et regnat cum Deo Patre.

44. *Benedictio:*

BENEDICERE ✠ et sanctificare ✠ digneris, Domine, famulum tuum, **N.**, cælesti benedictione in nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, amen.

45. *Alia oratio:*

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas et vita: exaudi et conserva famulum tuum hunc, quem vivificasti et redemisti pretio magno sancti sanguinis Filii tui. Qui vivit.

46. *Oratio:*

MAIESTATEM tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut, nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde eiectus fuerat, per hoc vivificum corpus et sanguinem Domini nostri, Iesu Christi mereatur intrare. Per eundem.

**SEQUITUR COMMENDATIO ANIMÆ,
QUANDO IAM PROPE EST MORTI**

47. Primo ergo legat litaniam, ut supra, quando inungit, deinde orationes sequentes devote dicat: Oratio:

PROFICISCERE, anima Christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit. In nomine Iesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est. In nomine Spiritus Sancti, qui in te fusus est. In nomine angelorum et archangelorum. In nomine thronorum et dominationum. In nomine principatum et potestatum. In nomine cherubim et seraphim. In nomine patriarcharum et prophetarum. In nomine sanctorum apostolorum. In nomine sanctorum martyrum et confessorum. In nomine sanctorum monachorum et eremitarum. In nomine virginum et omnium sanctorum et sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion.

48. Alia oratio:

DEUS misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum, **N.**, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi; renova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte, miserere, Domine, gemituum, miserere, Domine, lacrimarum eius, et, non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum.

49. Alia oratio:

COMMENDO te omnipotenti Deo, carissime frater, cuius es creatura, ut cum humanitatis debitum, morte interveniente, persolveris, ad creatorem tuum, qui te de limo formaverit, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidissimus angelorum chorus occurrat. Iudex apostolorum te senatus circumdet. Candidatorum tibi martyrum triumphator exercitus obviet. Lucida rutilantium te confessorum turma circumornet. Iubilantium te virginum chorus excipiat, et beatæ quietis in sinu patriarcharum te complexus astringat. Mitis itaque festinus¹ Christi Iesu tibi conspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignoret omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi tæterrimus satanas cum satellitibus suis, et in adventu suo, te comitantibus angelis, contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum a facie eius; sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes Tartaræ legiones, et ministri Satanæ iter tuum impedire

¹ *Malim* festivus

non audeant; liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est; liberet te a morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus, Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille pastor agnoscat. Ille ab omnibus tuis peccatis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat, ut Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et, præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum, amen.

50. Oratio:

SUSCIPE, Domine, servum tuum in locum sperandæ salvationis, sibi a misericordia tua præparatum, amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis infernorum, et a laqueis pœnarum, et ex omnibus tribulationibus, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia et de manu Abrahæ, patris sui, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, regis Ægyptiorum, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielelem de lacu leonum, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis et de manu regis iniqui, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu Saul et de manu Goliæ, amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus, et sicut liberasti gloriosam virginem et martyrem tuam, Teclam, de tribus tormentis atrocissimis; sic liberare digneris animam infirmi huius, et totum facias in bonis congaudere cælestibus, amen.

51. Oratio:

COMMENDAMUS tibi, Domine, animam famuli tui, precamurque te, Iesu Christe, Salvator mundi, ut propter quem ad terram misericorditer descendisti, patriarcharum tuorum sinibus insinuari non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam non ex diis alienis creatam, sed a te, Deo, solo Deo vivo et vero, quia non est Deus alius præter te, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam eius in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum eius antiquarum et ebrietatum eius, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderii. Licet enim peccavit, tamen Patrem et Filium

et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit. Per Christum.

52. Oratio:

DELICTA iuventutis et ignorantias eius, quæsumus, ne memineris, Domine, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur illi cæli, collætentur ei angeli, in regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael, archangelus Dei, qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti angeli Dei, et perducant eum in cælestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni cælestis commissæ sunt. Adiuvet eum sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Ioannes apostolus et Dei dilectus, cui revelata sunt secreta cælestia. Orent pro illo omnes sancti apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt, ut, vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis, præstante Domino nostro, Iesu Christo. Qui tecum.

53. Si adhuc in corpore tardaverit anima infirmi, legat aliquis diaconus vel presbyter passiones dominicas, et ponatur crux Christi ante conspectum eius, et de fide catholica mentionem faciat.

CUM AUTEM RECESSERIT ANIMA

54. Dicat responsorium:

*Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam eius, * offerentes eam in conspectu Altissimi. V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae angeli deducant te. Offerentes eam.*

55. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animas eorum.

V. Credo videre bona Domini.

R. In terra viventium.

V. Ne tradas bestiis animas, confitentes tibi.

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

V. Domine, miserere ei.

R. Christe, parce ei.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor [meus ad te veniat].

56. Oratio:

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui, **N.**, defuncti, ut, defunctus sæculo, tibi vivat, et, quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis deleas et abstergas. Per Christum.

57. Oratio:

SUSCIPE, Domine, animam servi tui, quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es, et libera eam de principibus tenebrarum, et de locis pœnarum, ut, absolutus omni vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, et inter sanctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur, præstante Domino nostro, Iesu Christo. Qui tecum vivit.

[EXPORTATIO FUNERIS AD ECCLESIAM]

58. Tunc aspergatur aqua benedicata et turificetur, et ad ecclesiam portetur, cantando responsum:

*Absolve, Domine, animas eorum ab omni vinculo delictorum, non eas tormentum mortis attingat, * non reorum catena constringat, sed miseratio tua in pacis eas ac lucis regione constituat. ✠. Si quæ illis sint, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia lenitatis indulge.*

59. Et, finito responso, dicatur per totum psalmus:

AD te levavi animam meam, *
 Deus meus, in te confido, non erubescam.
 Neque irrideant me inimici mei, *
 etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.
 Confundantur omnes iniqua agentes *
 supervacue.
 Vias tuas, Domine, demonstra mihi, *
 et semitas tuas edoce me.
 Dirige me in veritate tua, et doce me, *
 quia tu es Deus, salvator meus, et te sustinui tota die.
 Reminiscere miserationum tuarum, Domine, *
 et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.
 Delicta iuventutis meæ *
 et ignorantias meas ne memineris.
 Secundum misericordiam tuam memento mei tu, *
 propter bonitatem tuam, Domine.
 Dulcis et rectus Dominus, *
 propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
 Diriget mansuetos in iudicio, *
 docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas *
 requirentibus testamentum eius et testimonia eius.
 Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, *
 multum est enim.
 Quis est homo, qui timet Dominum? *
 Legem statuit ei in via, quam elegit.
 Anima eius in bonis demorabitur, *
 et semen eius hereditabit terram.
 Firmamentum est Dominus timentibus eum, *
 et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.
 Oculi mei semper ad Dominum, *
 quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
 Respice in me, et miserere mei, *
 quia unicus et pauper sum ego.
 Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, *
 de necessitatibus meis erue me.
 Vide humilitatem meam et laborem meum, *
 et dimitte universa delicta mea.
 Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, *
 et odio iniquo oderunt me.
 Custodi animam meam et erue me, *
 non erubescam, quoniam speravi in te.
 Innocentes et recti adhæserunt mihi, *
 quia sustinui te.
 Libera <me>, Deus, Israel *
 ex omnibus tribulationibus suis.
 Requiem æternam.

60. Antiphona:

Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahamæ angeli deducant te.

61. Psalmus:

Miserere mei, Deus, *ut supra, in septem psalmis, 16.*

62. Antiphona:

Læto animo pergo ad te, suscipe me, Domine, quia de limo terræ plasmasti me, spiritus de cælo introivit in me, et animam, quam dedisti, suscipe illam, Deus.

63. Oratio:

MISERICORDIAM tuam, Domine, sance Pater, omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro nostris peccatis supplicare nequam sufficimus, tamen, de tua confisi gratuita pietate et inolita benignitate, clementiam tuam deprecamur, ut animam servi tui, ad te revertentem, cum pietate suscipias;

adsit ei angelus testamenti tui, Michael, et per manus sanctorum angelorum tuorum inter sanctos et electos tuos in sinibus Abrahæ, Isaac et Iacob, patriarcharum tuorum, collocare digneris, quatenus de principibus tenebrarum et de locis pœnarum nullis iam primæ nativitatæ, aut ignorantæ, aut propriæ iniquitatæ, seu fragilitatæ confundatur erroribus, sed potius agnoscat a tuis, et sanctæ beatitudinis requie perfruatur, atque, cum magna iudicii dies advenerit, inter sanctos et electos tuos resuscitatus, gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuæ satiatur. Per.

64. Oratio:

OMNIPOTENS, sempiternæ Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es: dum te iubente pulvis in pulverem revertitur, tu imaginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sedibus præcipias sociari, eamque, ad te revertentem de Ægypti partibus, blande leniterque suscipias, et angelos sanctos tuos ei obviam mittas, viamque illi iustitiæ demonstra, et portas gloriæ tuæ aperi; repelle, quæsumus, ab ea omnes principes tenebrarum, et agnosce depositum fidele, quod tuum est; suscipe, Domine, creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, sed a te, solo Deo vivo et vero, quia non est alius Deus præter te, Domine, et non est secundum opera tua; lætifica, clementissime Deus, animam servi tui, et clarifica eam in multitudine misericordiæ tuæ; ne memineris quæsumus iniquitatum eius antiquarum et ebrietatum, quas suscitavit furor mali desiderii; licet enim peccavit, tamen te non negavit, sed signo fidei insignitus, te, qui omnia et eum inter omnia fecisti, fideliter adoravit. Qui in Trinitate perfecta vivis.

65. Oratio:

DIRI vulneris novitate percussi, et quodam modo cordibus saucitati, misericordiam tuam, mundi Redemptor, flebilibus vocibus imploramus, ut cari nostri animam ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, blande leniterque suscipias, et, quas illa carnali commercio contraxit, maculas, tu, Deus, inolita bonitate clementer deleas, benigne indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque, ad laudem tibi cum ceteris reddituram, et ad corpus quandoque reversuram, sanctorum tuorum coetibus aggregari præcipias.

66. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. Non intres in iudicium cum servo tuo.

℞. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

℣. Non tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi.

℞. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

℣. Anima eius in bonis demorabitur.

℞. Et semen eius hereditabit terram.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

67. [Oratio:] Oremus.

PETIMUS, clementissime Domine, ut spiritum huius famuli tui, vinculis corporali-
bus liberatum, in pace sanctorum tuorum recipias, ut locum pœnalem et Gehen-
næ ignem flammisque Tartari in regionem viventium evadat, et partem beatæ resur-
rectionis obtineat, vitamque æternam mereatur habere in cælis, per te, Iesu Christe,
Salvator mundi. Qui cum Patre.

68. [Versiculus:]

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

POST HÆC LAVETUR CORPUS DEFUNCTI

69. *Et post lotionem convenient fratres, et, aspersa aqua benedicta, et incensato corpore, dicant:*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. In memoria æterna erit iustus.

℟. Ab auditione mala non timebit.

℣. Non tradas, Domine, bestiis, *ut supra, 16.*

℣. Domine, miserere ei.

℟. Christe, parce ei.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

70. Oratio:

SUSCIPE, Domine, animam servi tui, quam de ergastulo huius sæculi vocare digna-
tus es, et libera eam de principibus tenebrarum, et de locis pœnarum, ut, absoluta
omni vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, et inter san-
ctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per.

HIC DEFUNCTUS IN ECCLESIAM PORTETUR, CANTANDO

71. Antiphona:

In paradysum deducant te angeli, in tuo adventu suscipiant te martyres, et perducant in civitatem sanctam Ierusalem.

72. *Psalmus per totum:*

IN exitu Israel de Ægypto, *
domus Iacob de populo barbaro.
Facta est Iudæa sanctificatio eius, *
Israel potestas eius.
Mare vidit et fugit, *
Iordanis conversus est retrorsum.
Montes exsultaverunt, ut arietes, *
et colles, sicut agni ovium.
Quid est tibi, mare, quod fugisti, *
et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum?
Montes, exsultastis, sicut arietes, *
et colles, sicut agni ovium.
A facie Domini mota est terra, *
a facie Dei Iacob,
Quia convertit petram in stagna aquarum, *
et rupem in fontes aquarum.
Non nobis, Domine, non nobis, *
sed nomini tuo da gloriam
Super misericordia tua et veritate tua. *
Nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?
Deus autem noster in cælo, *
omnia, quæcumque voluit, fecit.
Simulacra gentium argentum et aurum, *
opera manuum hominum.
Os habent, et non loquentur, *
oculos habent, et non videbunt.
Aures habent, et non audient, *
nares habent, et non odorabunt.
Manus habent, et non palpabunt, †
pedes habent, et non ambulabunt, *
non clamabunt in gutture suo.
Similes illis fiant, qui faciunt ea, *
et omnes, qui confidunt in eis.
Domus Israel speravit in Domino, *
adiutor eorum et protector eorum est.
Domus Aaron speravit in Domino, *
adiutor eorum et protector eorum est.
[Qui timent Dominum, speraverunt in Domino, *
adiutor eorum et protector eorum est.]
Dominus memor fuit nostri, *
et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel, *
 benedixit domui Aaron.
 Benedixit omnibus, qui timent Dominum, *
 pusillis cum maioribus.
 Adiiciat Dominus super vos, *
 super vos et super filios vestros.
 Benedicti vos [a] Domino, *
 qui fecit cælum et terram.
 Cælum cæli Domino, *
 terram autem dedit filiis hominum.
 Non mortui laudabunt te, Domine, *
 neque omnes, qui descendunt in infernum.
 Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, *
 ex hoc nunc et usque in sæculum.
 Requiem.

73. Si autem aliquis ex devotione voluerit legere plures psalmos, videlicet psalmum: Beati immaculati, usque ad psalmum: Ad Dominum cum tribularer, vel usque ad finem, potest.

**DEINDE CANTENTUR VIGILIÆ MORTUORUM,
 ET POST MISSÆ CELEBRATIONEM STET SACERDOS IUXTA FERETRUM,
 DICENS ORATIONEM**

74. Oratio:

NON intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quoniam nullus apud te iustificatur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio; non ergo eum tua, quæsumus, iudicialis sententia premat, quem tibi nostra supplicatio fidei Christianæ commendat, sed, gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. In qua vivis *etc.*

75. Deinde responsorium:

Subvenite sancti ut supra, 16.

76. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos [inducas in tentationem].

℟. [Sed libera nos a malo.]

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, [animas eorum].

77. Oratio:

DEUS, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, ut, quicquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente diabolo et propria iniquitate ac fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluere indulgendo, eamque suscipi iubeas per manus sanctorum angelorum tuorum, deducendam in sinum patriarcharum tuorum, Abraham, sancti amici tui, et Isaac, electi tui, atque Iacob, dilecti tui, quo aufugit dolor et tristitia atque suspirium, fidelium quoque animæ felici quoque iucunditate lætantur, et in novissimo magni iudicii die inter sanctos et electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparasti diligentibus te.

78. Responsorium:

*Antequam nascerer, novisti me, et ad imaginem tuam, Domine, plasmasi, * modo reddo tibi, creatori, animam meam. V. Commissa mea, Domine, pavesco, et ante te erubesco, dum veneris iudicare, noli me condemnare. Modo.*

79.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

80. Oratio:

FAC, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut, sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio societ angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum.

81. Responsorium:

*Qui Lazarum resuscitasti de monumento fœtidum, * tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiæ. V. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Tu eis.*

82. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, [animas eorum].

83. Oratio:

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui, N., quam de huius sæculi ergastulo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Christum.

84. Oratio:

DEUS universorum creator et conditor: qui cum sis tuorum beatitudo sanctorum, præsta nobis petentibus, ut spiritum famuli tui, **N.**, nexibus absolutum, in prima resurrectione sanctorum tuorum iubeas præsentari. Per Christum.

**HIC ELEVEtur CORPUS DEFUNCTI, ET PORTETUR AD TUMULUM
CUM PSALMO ET ANTIPHONA**

85. Antiphona:

Aperite illi portas iustitiæ, et, ingressus in eas, confitebitur Domino; hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

86. Psalmus:

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, *
quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc Israel, quoniam bonus, *
quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus, *
quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicant nunc, qui timent Dominum, *
quoniam in sæculum misericordia eius.
De tribulatione invocavi Dominum, *
et exaudivit me in latitudine Dominus.
Dominus mihi adiutor, *
non timebo, quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adiutor, *
et ego despiciam inimicos meos.
[Bonum est confidere in Domino, *
quam confidere in homine.]
Bonum est sperare in Domino, *
quam sperare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me, *
et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Circumdantes circumdederunt me, *
et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Circumdederunt me, sicut apes, †
et exarserunt, sicut ignis in spinis, *
et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Impulsus, eversus sum, ut caderem, *
et Dominus suscepit me.
Fortitudo mea et laus mea Dominus, *
et factus est mihi in salutem.

Vox exultationis et salutis *
 in tabernaculis iustorum:
 Dextera Domini fecit virtutem, †
 dextera Domini exaltavit me, *
 dextera Domini fecit virtutem.
 Non moriar sed vivam, *
 et narrabo opera Domini.
 Castigans castigavit me Dominus, *
 et morti non tradidit me.
 Aperite mihi portas iustitiæ, †
 ingressus in eas confitebor Domino, *
 hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
 Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, *
 et factus es mihi in salutem.
 Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, *
 hic factus est in caput anguli.
 A Domino factum est istud, *
 et est mirabile in oculis nostris.
 Hæc est dies, quam fecit Dominus, *
 exsultemus et lætemur in ea.
 O, Domine, salvum me fac, †
 o. Domine, bene prosperare, *
 benedictus, qui venturus est in nomine Domini.
 Benediximus vobis de domo Domini, *
 Deus Dominus, et illuxit nobis.
 Constituite diem sollemnem in condensis *
 usque ad cornu altaris.
 Deus meus es tu, et confitebor tibi, *
 Deus meus es tu, et exaltabo te.
 Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, *
 et factus es mihi in salutem.
 Confitemini Domino, quoniam bonus, *
 quoniam in sæculum misericordia eius.
 Requiem.

87. Oratio:

PLÆ recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem facimus cari nostri, quem Dominus de tentationibus huius sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placidam et quietam mansionem, et dimittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut, concessa venia plenæ indulgentiæ, quicquid in hoc sæculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat et abstergat. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat.

88. Oratio:

DEUS, qui fundasti terram, et formasti cælos; qui omnia sidera statuta fixisti; qui captum laqueo mortis hominem a livore reparasti; qui sepultos Abraham, Isaac et Iacob in spelunca duplici libro vitæ scripsisti, atque totius Ecclesiæ principes annotasti benedicendos: benedicere digneris hunc tumulum famuli tui, ut hic eum requiescere facias, et in sinu Abrahæ collocare digneris, qui Deum nostrum ab infernis resuscitasti ad salutem credentium in se: respice, quæsumus super hanc fabricam sepulturæ, et descendat virtus gratiæ tuæ in eam, ut, te iubente, sit ei in hoc loco quieta dormitio, et tempore iudicii cum sanctis omnibus vera resurrectio.

89. Hic, aspersa aqua benedicta, et incenso, ponatur corpus in sepulcro, et dicatur antiphona:

Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

90. Psalmus:

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum, *
 ita desiderat anima mea ad te, Deus.
 Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. *
 Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?
 Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, *
 dum dicitur mihi cottidie: Ubi est Deus tuus?
 Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, *
 quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.
 In voce exsultationis et confessionis *
 sonus epulantis.
 Quare tristis es, anima mea, *
 et quare conturbas me?
 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, *
 salutare vultus mei et Deus meus.
 Ad meipsum anima mea conturbata est, *
 propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermonii, a monte modico.
 Abyssus abyssum invocat *
 in voce cataractarum tuarum.
 Omnia excelsa tua et fluctus tui *
 super me transierunt.
 In die mandavit Dominus misericordiam tuam, *
 et nocte canticum eius.
 Apud te oratio Deo vitæ meæ, *
 dicam Deo: Susceptor meus es.
 Quare oblitus es mei, *
 et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
 Dum confringuntur ossa mea, *
 exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei,

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? *

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, *

salutare vultus mei et Deus meus.

Requiem.

91. Oratio:

OBSECRAMUS misericordiam tuam, omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut animam famuli tui, **N.**, quam hodierna die rebus humanis eximi, et ad te accersiri iussisti, blande et misericorditer suscipias, non ei dominantur umbræ mortis, nec tegat eum chaos et caligo tenebrarum, sed, exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ patriarchæ collocatus, locum lucis et refrigerii sedem adeptum esse gaudeat, et, cum magni iudicii dies advenerit, cum sanctis et electis tuis eum resuscitari iubeas. Per.

92. Aspersa aqua benedicta, et incenso, cooperiatur corpus lapide vel assere, dicatur antiphona cum psalmo. Antiphona:

Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

93. Psalmus:

MEMENTO, Domine, David *

et omnis mansuetudinis eius.

Sicut iuravit Domino, *

votum vovit Deo Iacob:

Si introiero in tabernaculum domus meæ, *

si ascendero in lectum strati mei,

Si dederò somnum oculis meis, *

et palpebris meis dormitationem

Et requiem temporibus meis, †

donec inveniam locum Domino, *

tabernaculum Deo Iacob.

Ecce, audivimus eam in Ephrata, *

invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum eius, *

adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.

Surge, Domine, in requiem tuam *

tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitia, *

et sancti tui exsultent.

Propter David, servum tuum, *

non avertas faciem christi tui.

Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: *

De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, *
 et testimonia mea, hæc, quæ docebo eos,
 Et filii eorum usque in sæculum sæculi *
 sedebunt super sedem tuam,
 Quoniam elegit Dominus Sion, *
 elegit eam in habitationem sibi:
 Hæc requies mea in sæculum sæculi, *
 hic habitabo, quoniam elegi eam.
 Viduam eius benedicens benedicam, *
 pauperes eius saturabo panibus.
 Sacerdotes eius induam salutari, *
 et sancti eius exultatione exultabunt.
 Illuc producam cornu David, *
 paravi lucernam christo meo.
 Inimicos eius induam confusione, *
 super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.
 Requiem æternam.

94. Oratio:

DEUS, apud quem mortuorum spiritus vivunt, et in quo electorum animæ plena felicitate lætantur: præsta, supplicantibus nobis, ut anima famuli tui, **N.**, quæ temporali per corpus visionis huius luminis caruit visu, æternæ illius lucis solatio potiat; non eam tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor cruciet, non reorum catena constringat, sed, concessa sibi venia delictorum omnium, quietis consequatur gaudia repromissa. Per Christum.

95. Tunc sermo fiat¹ ad populum. Finito sermone, dicatur oratio:

ABSOLVIMUS te, frater, vice sancti Petri, apostolorum principis, cuius vice collata est nobis ligandi atque solvendi potestas, ut, quantum tua expetit accusatio, et ad nos pertingit remissio, secundum quod nobis est licitum, sit tibi Dominus, Iesus Christus, Redemptor tuus vita et salus, et omnium peccatorum clementissimus indulitor. Qui cum Deo Patre.

96. Deinde tribus vicibus super corpus terram sacerdos proiciat, dicendo:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

[Antiphona:]

De terra plasmasti me, Domine, et carne induisti, Redemptor meus, Domine, resuscita me in novissimo die.

¹ Ed. Nat

97. Postea dicatur psalmus:

DOMINE, probasti me et cognovisti me, *
 tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.
 Intellexisti cogitationes meas de longe,¹ *
 semitam meam et funiculum meum investigasti.
 Et omnes vias meas prævīdisti, *
 quia non est sermo in lingua mea.
 Ecce, tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua, *
 tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.
 Mirabilis facta est scientia tua ex me, *
 confortata est, et non potero ad eam.
 Quo ibo a spiritu tuo, *
 et quo a facie tua fugiam?
 Si ascendero in cælum, tu illic es, *
 si descendero ad infernum, ades.
 Si sumpsero pennas meas diluculo, *
 et habitavero in extremis maris,
 Etenim illuc manus tua deducet me, *
 et tenebit me dextera tua.
 Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, *
 et nox illuminatio mea in deliciis meis,
 Quia tenebræ non obscurabuntur a te, †
 et nox, sicut dies, illuminabitur, *
 sicut tenebræ eius, ita et lumen eius,
 Quia tu posuisti renes meos, *
 suscepisti me de utero matris meæ.
 Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, †
 mirabilia opera tua, *
 et anima mea cognoscet nimis.
 Non est occultatum os meum a te, †
 quod fecisti in occulto, *
 et substantia mea in inferioribus terræ.
 Imperfectum meum viderunt oculi tui, †
 et in libro tuo omnes scribentur, *
 dies formabuntur, et nemo in eis.
 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, *
 nimis confortatus est principatus eorum.
 Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur, *
 exsurrexi, et adhuc sum tecum.
 Si occideris, Deus, peccatores, *
 viri sanguinum, declinate a me,

¹ Ed. longa

Quia dicitis in cogitatione: *

Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, *

et super inimicos meos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos, *

inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum, *

interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est, *

et deduc me in via æterna.

Requiem.

98. Oratio:

OREMUS, fratres carissimi, pro spiritu cari nostri, quem Dominus de laqueo huius sæculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in sinum Abrahæ, Isaac et Iacob collocare dignetur, ut, cum iudicii dies advenerit, inter sanctos et electos tuos, eum, in parte dextera collocandum, resuscitari faciat, præstante Domino nostro, Iesu Christo.

99. Oratio:

DEUS, vitæ dator et humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti: exaudi preces, quas spirituali devotione pro anima famuli tui, **N.**, lacrimabiliter fundimus, ut liberare eum ab inferorum cruciatibus, et collocare inter agmina sanctorum digneris, veste quoque cælesti et stola immortalitatis indui, et paradisi amœnitate confoveri iubeas. Per Christum.

100. Oratio:

TEMERITATIS quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi, Domino, Deo nostro, audeat commendare, sed quia terra suscipit terram, et pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem; inde tuam, Deus, piissime Pater, lacrimabiliter quæsumus pietatem, ut huius famuli tui, **N.**, animam, quam de huius mundi voragine scenulenta ducis ad patriam, Abrahæ, amici tui, sinu recipias, et refrigerii rore perfundas; sit ab æstuantis Gehennæ truci incendio segregatus, et beatæ requiei, te donante, coniunctus, et, quæ ei sint dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem; cumque finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, omnium sanctorum tuorum cœtibus aggregatus, cum electis resurgat in parte dextera coronandus. Per.

101. Oratio:

DEBITUM humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecamur, ut hoc corpus cari nostri, a nobis in infirmitate sepultum, in ordine sanctorum suorum resuscitet, et eius spiritum san-

ctis ac fidelibus suis aggregari faciat, et ei in iudicio misericordiam tribuat, eumque, morte redemptum, debitis solutum, Patri reconciliatum, boni pastoris humero reportatum, in comitatu regis æterni perenni gaudio et sanctorum suorum consortio perfrui concedat. Per.

102. Oratio:

SUSCIPE, Domine, animam famuli tui, **N.**, revertentem ad te, veste cælesti indueam, et lava eam sancto fonte vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, et inter sapientes sapiat, et inter martyres coronatus consideat, et inter patriarchas et prophetas proficiat, et inter apostolos Christum sequi studeat, et inter angelos et archangelos claritatem Christi semper videat, et inter paradisi rutilos lapides gaudium possideat, et notitiam mysteriorum Dei agnoscat, et inter cherubim et seraphim claritatem Dei inveniat, et inter viginti quattuor seniores cantica canticorum audiat, et inter lavantes stolas in fonte fluminis vestem lavet, et inter pulsantes pulsans, portas cælestis Ierusalem apertas reperiatur, et inter videntes Deum facie ad faciem videat, et inter cantantes canticum novum cantet, et inter audientes cælestem sonum audiat. Per eundem.

103. [Preces:]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Oremus pro omnibus fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam [dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis].

104. Deinde dicatur psalmus: De profundis, ut supra, 17, in septem psalmos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison, ut supra, 18.

105. Oratio:

DEUS, qui omnium potestatem habes, et nosti universa, priusquam fiant: da re-staurationem huic sepulto, et omnibus, in hoc cimiterio quiescentibus, et in te degentibus, largire quietem, et præsta, ut, qui te, Domino inspirante, renati sunt, secunda mors in eis non habeat potestatem, sed partem primæ et beatæ resurrectionis obtineant, vitamque æternam habere mereantur in cælis. Per.

REVERTENTES AD ECCLESIAM

106. Cantent responsorium:

*Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? * Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* ℣. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Dominus.*

107. Deinde hi psalmi legantur ante altare. Psalmus:

Miserere mei, Deus, *ut supra, 16, in septem psalmis.*

Deus misereatur nostri.

Levavi oculos meos in montes.

Ad te levavi oculos meos, *require supra, 12, de introductione mulieris post partum.*

108. Psalmus:

NISI Dominus ædificaverit domum, *
in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, *
frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere, *
surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris,

Cum dederit dilectis suis somnum. *

Ecce, hereditas Domini filii, merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, *
ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, *
non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Requiem.

109.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster *per omnia, ut supra, 26.*

110. Oratio:

MISERICORS Deus, qui omne genus humanum amaræ mortis morsu deterres: exaudi nos, qui vivimus, et nomen tuum invocando benedicimus, et præsta, ut ad te nostra sit intentio, per quem nobis perfecta venit redemptio, ac post mortem carnis huius veræ resurrectionis adoptio. Per.

111. Oratio:

DEUS, qui nos melius in domo luctus, quam in domo convivii omnes præcogitare facis, et quid sumus, et quid erimus in fine: doce nos, quæsumus, omni hora nostra memorari novissima, ne peccemus, sed supervenientem subito, quasi furem, novissimum corporis diem imperterriti expectemus, et læti capiamus. Per Christum.

112.

℣. Requiescat in sancta pace.

℟. Amen.

VI. In die Paschæ benedictio carniū

1. Oratio:

DEUS, universæ carnis creator, qui agnum in Ægypto Moysi et populo tuo in vigilia Paschæ comedere præcepisti in figura Domini nostri Iesu Christi, cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, et in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti, servans populum tuum agni sanguine prænotatum: dignare quæsumus benedicere ✠ et sanctificare ✠ has carnes agninas, et, quicumque ex fidelibus populis tuis ex eis comederint, omni benedictione et cælesti gratia saturati, repleantur in bonis. Per eundem.

BENEDICTIO LARDI

2. Oratio:

BENEDIC, ✠ Domine, creaturam istam lardi, ut sit remedium salutare generi humano, et præsta per invocationem tui sancti nominis, ut, quicumque inde sumpserint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per Christum.

SUPER CARNES AVIUM

3. Oratio:

DEUS universæ creaturæ, qui inter ceteras diversarum creaturarum species pro humani generis usu etiam volatiliū genus ex aqua producere dignatus es, ex quibus Noe, de arca egrediens, holocausta tibi offerens, placuit, et qui populum tuum ex Ægypto eductum per Moysen, servum tuum, munda ab immundis segregans, edendi præceptum dedisti: te supplices rogamus, ut has mundarum avium carnes benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris, ut, quicumque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantia repleantur, et ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Christum.

OVORUM BENEDICTIO

4. Oratio:

SUBVENIAT, quæsumus, Domine, benedictionis ✠ tuæ gratia huic ovorum creaturæ, ut cibus salutaris fiat tuis fidelibus, in gratiarum actione sumentibus. Per Christum.

CASEORUM BENEDICTIO

5. Oratio:

DIGNARE, Domine, quæsumus, omnipotens Deus, benedicere ✠ et sanctificare ✠ hanc creaturam casei, quam ex adipe animalium producere dignatus es, et conce-

de propitius, ut, quicumque ex populis tuis fidelibus ex eis comederint vel gustaverint, omni benedictione cælesti et gratia saturati, repleantur in bonis. Per Christum.

AD QUÆVIS

6. Oratio:

CREATOR et conservator generis humani, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu, Domine: Spiritum Sanctum super hanc creaturam **N.** emitte, ut, armata virtute cælestis dispensationis, qui ex ea gustaverint, proficiat eis ad æternam salutem. Per Christum.

AD OMNIA BENEDICTIO

7. Oratio:

DEUS, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri, Iesu Christi nobis gaudia contulisti, auge et sanctifica ✠ collata nobis hæc dona tuæ largitatis, mentesque nostras spiritualibus reple deliciis. Per Dominum.

8.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

9.

BENEDICTIO ✠ Dei Patris omnipotentis et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat, et maneat super has creaturas, amen.

VII. Segetum consecratio in die sancti Marci evangelistæ

1. Primo litania legatur:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Pater de cælis, Deus. Miserere nobis.

Fili, Redemptor mundi, Deus.

Miserere nobis.

Spiritus Sancte, illuminator mundi,

Deus. Miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus.

Miserere nobis.

Salvator mundi. Adiuva nos.

Sancta Maria. Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix. Ora pro nobis.

Sancta Virgo virginum. Ora pro nobis.

Sancte Michael. Ora pro nobis.

Sancte Gabriel. Ora pro nobis.
 Sancte Raphael. Ora pro nobis.
 Omnes sancti angeli et archangeli.
 Orate pro nobis.
 Sancte Ioannes Baptista.
 Ora pro nobis.
 Omnes sancti patriarchæ et prophetæ.
 Orate pro nobis.
 Sancte Petre. Ora pro nobis.
 Sancte Paule. Ora pro nobis.
 Sancte Andrea. Ora pro nobis.
 Sancte Iacobe. Ora pro nobis.
 Sancte Philippe. Ora pro nobis.
 Sancte Bartholomæe. Ora pro nobis.
 Sancte Ioannes evangelista.
 Ora pro nobis.
 Sancte Matthæe. Ora pro nobis.
 Sancte Iacobe. Ora pro nobis.
 Sancte Matthia. Ora pro nobis.
 Sancte Thoma. Ora pro nobis.
 Sancte Simon. Ora pro nobis.
 Sancte Thaddæe. Ora pro nobis.
 Sancte Marce. Ora pro nobis.
 Sancte Luca. Ora pro nobis.
 Omnes sancti apostoli et evangelistæ.
 Orate pro nobis.
 Omnes sancti discipuli Domini.
 Orate pro nobis.
 Sancte Stephane protomartyr.
 Ora pro nobis.
 Sancte Laurenti. Ora pro nobis.
 Sancte Vincenti. Ora pro nobis.
 Sancte Adalberte. Ora pro nobis.
 Sancte Georgi. Ora pro nobis.
 Sancte Demetri. Ora pro nobis.
 Sancte Blasi. Ora pro nobis.
 Sancte Valentine. Ora pro nobis.
 Omnes sancti martyres.
 Orate pro nobis.
 Omnes sancti innocentes.
 Orate pro nobis.
 Sancte Silvester. Ora pro nobis.
 Sancte Gregori. Ora pro nobis.

Sancte Ambrosi. Ora pro nobis.
 Sancte Augustine. Ora pro nobis.
 Sancte Hieronyme. Ora pro nobis.
 Sancte rex Stephane. Ora pro nobis.
 Sancte dux Emerice. Ora pro nobis.
 Sancte rex Ladislæ. Ora pro nobis.
 Sancte Benedicte. Ora pro nobis.
 Sancte Francisce. Ora pro nobis.
 Sancte Dominice. Ora pro nobis.
 Sancte Martine. Ora pro nobis.
 Sancte Nicolae. Ora pro nobis.
 Sancte Brici. Ora pro nobis.
 Sancte Ægidi. Ora pro nobis.
 Sancte Galle. Ora pro nobis.
 Sancte Antoni. Ora pro nobis.
 Omnes sancti confessores.
 Orate pro nobis.
 Sancta Maria Magdalena.
 Ora pro nobis.
 Sancta Anna. Ora pro nobis.
 Sancta Felicitas. Ora pro nobis.
 Sancta Perpetua. Ora pro nobis.
 Sancta Catharina. Ora pro nobis.
 Sancta Margarita. Ora pro nobis.
 Sancta Dorothea. Ora pro nobis.
 Sancta Agnes. Ora pro nobis.
 Sancta Agatha. Ora pro nobis.
 Sancta Iuliana. Ora pro nobis.
 Sancta Lucia. Ora pro nobis.
 Sancta Barbara. Ora pro nobis.
 Sancta Helena. Ora pro nobis.
 Sancta Elisabeth. Ora pro nobis.
 Omnes sanctæ virgines et viduæ.
 Orate pro nobis.
 Omnes sancti. Orate pro nobis.
 Propitius esto. Parce nobis, Domine.
 Propitius esto. Libera nos, Domine.
 Ab omni malo. Libera nos, Domine.
 Ab insidiis diaboli.
 Libera nos, Domine.
 A subitanea et improvisa morte.
 Libera nos, Domine.
 A clade et peste. Libera nos, Domine.

Per adventum tuum.
 Libera nos, Domine.
 Per nativitatem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per circumcisionem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per baptismum tuum.
 Libera nos, Domine.
 Per sanctum ieiunium tuum.
 Libera nos, Domine.
 Per captivitatem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per passionem et crucem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per mortem et sepulturam tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per gloriosam resurrectionem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per admirabilem ascensionem tuam.
 Libera nos, Domine.
 Per adventum Spiritus Sancti Paracliti.
 Libera nos, Domine.
 In hora mortis.
 Succurre nobis, Domine.
 In die iudicii. Libera nos, Domine.
 Peccatores. Te rogamus, audi nos.
 Ut pacem nobis dones.
 Te rogamus, audi nos.
 Ut sanitatem nobis dones.
 Te rogamus, audi nos.
 Ut Ecclesiam tuam regere et sublimare
 digneris. Te.

Ut dominum apostolicum et omnes
 gradus ecclesiasticos in sancta religione
 conservare digneris. Te rogamus,
 audi nos.
 Ut archiepiscopum nostrum misericordia
 et pietas tua custodiat.
 Te rogamus, audi nos.
 Ut regem nostrum populumque
 subiectum sub tua protectione
 conservare digneris. Te rogamus,
 audi nos.
 Ut cunctum populum Christianum
 pretiosissimo sanguine tuo
 redemptum conservare digneris. Te
 rogamus, audi nos.
 Ut omnibus fidelibus vivis atque
 defunctis requiem æternam donare
 digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut fructus terræ nobis dare et conservare
 digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut nos exaudire digneris. Te rogamus,
 audi nos.
 Ut nos custodire digneris. Te rogamus,
 audi nos.
 Fili Dei. Te rogamus, audi nos.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
 Miserere nobis.
 Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

2. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

3. [Oratio:] Oremus.

PIETATEM tuam, quæsumus, omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ, quas aeris
 et pluviam temperamento nutrire dignatus es, benedictionis ✠ tuæ imbre profundas,

tribuasque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, ut egenus et pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum.

4. Oratio:

OMNIPOTENS, sempiternæ Deus, arbiter throni, qui molem terræ, ex nihilo pendentem, gubernas, et ad victum humani generis corporisque sustentationem agros operibus excolere iussisti: misericordiam tuam supplices exoramus, ut, quicquid in hunc agrum salubris seminis satum atque plantatum est, respectu tuæ clementiæ prospicias, et aeris temperiem moderare digneris, ut, reseccato atque absorpto omnium tribulorum spinarumque squalore, efficias fruges fecundas, et ad maturitatem perfectam tribuas pervenire, ut nos, famuli tui, uberem tuorum donorum fructum cum gratiarum actione percipientes, debitas atque acceptas sancto nomini tuo laudes referre mereamur. Per Christum.

5. Oratio:

TE, Domine, petimus ac rogamus, ut hos fructus seminum, frugum, siliginis, hordei, avenæ ac aliorum cuiuscumque generis existant, tuis oculis serenis hilarique vultu respicere digneris, sicut enim testatus es Moysi, famulo tuo, in terra Ægypti, dicens: Dic filiis Israel, cum ingressi fueritis terram promissionis, quam eis daturus sum, ut primitias frugum offerant sacerdotibus, et erunt benedictæ fruges; ita et nos oramus te, Domine, ut auxilium gratiæ tuæ super nos et hos fructus ad benedicendum ✠ profendum concedas, ut non grando surripiat, non turbo subvertat, nec vis tempestatis detruncet, nec aeris serenitas exustet, non inundatio pluvialis exterminet, sed incolumem et superabundantem propter usum hominum ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum.

6. Oratio:

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æternæ Deus: mitte Spiritum Sanctum angelorum et archangelorum tuorum, ut defendat segetes nostras a vermibus malis, sive ab avibus, ut magnificetur nomen tuum, Deus, in omni loco. Per Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

7.

ET benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis, et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat, et maneat super has fruges, amen.

VIII. Benedictio pabuli seu avenæ in die sancti Stephani protomartyris

1. Primo legat epistolam, lectio Actuum apostolorum (6. capitulum):

IN diebus illis. Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum et eorum, qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei et Iesum, stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, et Filium hominis, stantem a dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et, eiicientes eum extra civitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, invocantem et dicentem: Domine, Iesu, accipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamabat voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum dixisset, obdormivit in Domino.

2. Deinde evangelium, quod sequitur secundum Matthæum (13):

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non, ne forte, colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

3. Finito evangelio, dicat:

PER istos semones sancti Evangelii indulgeat nobis Dominus noster, Iesus Christus, universa nostra crimina et delicta, amen.

4. Deinde:

Benedicat ✠ Dominus hanc creaturam pabuli, salis, hordei, avenæ et siliginis.

5. Sequitur psalmus:

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, *
facti sumus sicut consolati.
Tunc repletum est gaudio os nostrum, *
et lingua nostra exsultatione.

Tunc dicent inter gentes: *

Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum, *
facti sumus lætantes.

Converte(re), Domine, captivitatem nostram, *
sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrimis, *
in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, *
mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, *
portantes manipulos suos.

Gloria Patri.

6. *Postea preces sequuntur:*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Salvos fac fideles tuos et ancillas tuas.

℟. Domine, Deus meus, sperantes in te.

℣. Et si mortiferum quid comederint.

℟. Non eis nocebit.

℣. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.

℟. Beatus homo, qui sperat in te, Domine.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

7. [Oratio:] Oremus.

DOMINE, Deus omnipotens, creator cæli et terræ, rex regum et Dominus dominantium: exaudi nos, famulos tuos clamantes et orantes ad te, qui omnia de nihilo creasti, et hoc pabulum cum ceteris creaturis ad usus animalium et ad eorum nutrimentum fecisti, et qui hodierna die petitionem sancti Stephani protomartyris adimplesti; te humiliter deprecamur, ut has creaturas avenæ, salis, et cetera, quæ ad usus animalium et sanitatem eorum, sive in terra, sive in aqua degentia, per invocationem sancti nominis tui, et per intercessionem beatæ Mariæ Virginis, Genitricis tuæ, et per merita beati Stephani, protomartyris tui, cuius festum hodie recolimus, et per preces omnium sanctorum tuorum benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris, ut quæ animalium ex eis gustaverint, sanitatem integraliter accipiant per te, Iesu Christe, cuius solo verbo omnia restaurantur, Salvator mundi, rex æternæ gloriæ. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas.

8. Oratio:

DEUS, qui temporibus Eliæ prophetæ cælum, a nubibus restringendo, clausisti, et, rursus aperiendo, te mirabiliter ostendisti: exaudi preces plebis tuæ, per Unigenitum tuum, quem consubstantialem et coæqualem tibi in divinitate credimus, per Spiritum Sanctum Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, et per meritum beatissimi protomartyris Stephani, cuius hodie festum celebramus, ut benedicas ✠ et sanctifices ✠ hoc sal, avenam, hordeum et siliginem, ut, quæcumque animalia ex eis gustaverint, adiutorium omnium sanitatum ac virtutum recipiant, per te Domine, sancte Pater, qui cum Filio et Spiritu Sancto vivis ac regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

9.

ET benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat, et maneat super hanc creaturam avenæ, hordei, siliginis et salis, amen.

IX. Benedictio vini seu amoris sancti Ioannis, tertio die post Domini Nativitatem

1. Et primo legatur evangelium: In principio erat verbum, ut supra, in principio, 1. Deinde evangelium secundum Ioannem (2):

IN illo tempore. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus et discipuli eius ad nuptias. Et, deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam, vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est, tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.

2. Concludendo:

PER istos sermones sancti Evangelii indulgeat nobis Dominus noster, Iesus Christus, universa crimina et delicta, amen.

3.

Benedicat ✠ Dominus noster, Iesus Christus, hanc creaturam vini.

4.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit [cælum et terram].

5. Deinde legatur:

DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit, *
in loco pascuæ, ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me, *
animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ *
propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, *
quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, *
ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam *
adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, *
et calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me *
omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini *
in longitudinem dierum.

Gloria Patri.

6. Preces sequuntur:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Salvos fac fideles tuos et ancillas tuas.

℟. Domine, Deus meus, sperantes in te.

℣. Et, si quid mortiferum biberint.

℟. Non eis nocebit.

℣. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.

℟. Beatus homo, qui sperat in te, Domine.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

7. [Oratio:] Oremus.

DEUS et Pater Domini nostri, Iesu Christi, cuius verbo cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, et omnis potestas subiecta est, et metuit et expavescit: nos te ad

auxilium nostrum invocamus, cuius audito nomine, serpens conquiescit, draco fugit, vipera silet, et subdola illa, quæ dicitur rana inquieta, torpescit, scorpius exstinguitur, regulus vincitur, sq[u]alungus nihil noxium operatur, et omnia venenata et adhuc ferociora animalia noxia terrentur; tu exstingue omnes diaboli fraudes et omnes humano generi adversantes nequitas, et hunc potum per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ et beati Ioannis apostoli et evangelistæ et omnium sanctorum tuorum meritis et intercessionibus tua virtute benedic, ✠ ut omnes, ex eo gustantes, ab omni malo custodias, et ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per eum.

8. Oratio:

DOMINE, Iesu Christe, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque milia hominum satiasti, et in Cana Galilææ vinum ex aqua fecisti, qui es vitis vera: multiplica super nos misericordiam tuam, et pietatis tuæ clementiam nobis ostende, quemadmodum fecisti cum patribus nostris, in misericordiam tuam sperantibus; benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris hanc creaturam vini, quam ad sustentationem fidelium tuorum tribuisti, ut, quicumque ex hac usus fuerit, vel a quolibet potatum, divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur; et omnibus accipientibus ex eo, cum gratiarum actione sanctificentur in visceribus eorum. Per eundem.

9. Oratio:

DEUS, cuius potestate beatus Ioannes evangelista potum venenosum toxicum digessit: benedicere ✠ et consecrare ✠ digneris hanc creaturam vini, ut omnes, ex eo gustantes, expulso omni gustu nocivo, infuso tuæ benedictionis mysterio, sit in terris corporis et animæ remissio criminum, et in cælis perpetua consolatio. Per Dominum.

10.

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

℣. Benedicamus Domino.

℟. [Deo gratias.]

11.

ET benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis et Filii ✠ et Spiritus Sancti ✠ descendat, et maneat super hanc creaturam vini, amen.

X. Benedictio baculorum et capsellarum pro peregrinis

1.

℣. Pax Domini sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

2. Oratio:

DOMINE, Iesu Christe, mundi Redemptor et conditor, qui beatis apostolis tuis præcepisti, ut, euntes in prædicationem, virgas tantum sumerent: te supplici devotione deprecamur, ut digneris has capsellas et hos fustes benedicere, ✠ quatenus ipsi, qui ista in signum peregrinationis et suorum corporum sustentationem sunt recepturi, tuæ cælestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimina tuæ benedictionis percipere possint, ut, quemadmodum virgam Aaron, in templo Domini florentem, ad rebellium Iudaicarum perfidiam repellendam, benedixisti, ita et hoc signaculo servos beatorum apostolorum Petri et Pauli ad limina adorare pergentes, ab omnibus peccatis absolvas, ut, in die iudicii ab impiis separati, in dexteram sint partem coronandi. Per.

3. Oratio:

DOMINE, Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui recto incedentibus itinere pius es auctor: te suppliciter ecoramus, ut has peras et hos baculos tua benedictione ✠ consecrare digneris, et præsta, piissime Pater, ut hi, famuli tui, **N.**, qui has peras in humeris suspenderit, et hos baculos tua benedictione ✠ in manibus portaverint, opere benedictionis tuæ repleantur, hic et ubique defensionis tuæ auxilio muniantur. Per Christum.

4. Hic det eis capsellas et baculos, scilicet ad manus. Oratio:

ACCIPITE has capellas et hos fustes, et pergite ad limina apostolorum Petri et Pauli in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et per intercessionem beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, et omnium sanctorum mereamini in hoc sæculo accipere remissionem omnium peccatorum, et in futuro consortium beatorum. Accipite has peras et hos baculos itineris vestri in nomine Domini, qui Tobia angelum Raphaellem ad custodiendum misit, ut ipse vobis angelum suum bonum custodem mittat, qui vos ad loca destinata perducat, et ad priora reducat. Per Christum.

5. Alia oratio:

OMNIPOTENS, sempiternus Deus, humani generis reformator et auctor, qui Abrahæ, puero tuo, præcepisti, ut iret de terra nativitatis suæ, et veniret in terram promissionis, quam ei daturum promiseras, necnon et populum Israeliticum, in deserto te adorandum, multis prodigiis venire fecisti: hos, quæsumus, ad beatorum apostolorum, Petri et Pauli, limina adorare pergentes ac redeuntes, a periculis omnibus eruas, et a peccatorum nexibus absolvas, et tu, qui es vera vita in te confidentibus, eorum iter bene disponas, ut inter omnes huius sæculi perturbationes tuo protegantur auxilio; mitte eis, Domine, angelum tuum, quem Tobia famulo tuo comitem dedisti, ut ubicumque manserint, sit illis defensor contra insidias omnium inimicorum visibilium et invisibilium, quatenus læti, incolumes ad nos iterum redire valeant. Præstante Domino nostro, Iesu Christo.

6. Hic prosternant, seu inclinent se humiliter ante altare, et dicatur psalmus:

QUI habitat in adiutorio Altissimi, *
 in protectione Dei cæli commorabitur.
 Dicet Domino: Susceptor meus es tu et refugium meum, *
 Deus meus, sperabo in eum,
 Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium *
 et a verbo aspero.
 Scapulis suis obumbrabit tibi, *
 et sub pennis eius sperabis.
 Scuto circumdabit te veritas eius, *
 non timebis a timore nocturno,
 A sagitta volante in die, †
 a negotio perambulante in tenebris, *
 ab incursu et dæmonio meridiano.
 Cadent a latere tuo mille, †
 et decem milia a dextris tuis, *
 ad te autem non appropinquabit.
 Verumtamen oculis tuis considerabis, *
 et retributionem peccatorum videbis,
 Quoniam tu es, Domine, spes mea, *
 Altissimum posuisti refugium tuum.
 Non accedat ad te malum, *
 et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,
 Quoniam angelis suis mandavit de te, *
 ut custodiant te in omnibus viis tuis.
 In manibus portabunt te, *
 ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
 Super aspidem et basiliscum ambulabis, *
 et conculcabis leonem et draconem.
 Quoniam in me speravit, liberabo eum, *
 protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
 Clamavit ad me, et ego exaudiam eum, †
 cum ipso sum in tribulatione, *
 eripiam eum et glorificabo eum.
 Longitudine dierum replebo eum, *
 et ostendam illi salutare meum.
 Gloria.

7. Canticum Simeonis:

NUNC dimittis servum tuum, Domine, *
 secundum verbum tuum in pace,
 Quia viderunt oculi mei *
 salutare tuum,

Quod parasti *
ante faciem omnium populorum,
Lumen ad revelationem gentium, *
et gloriam plebis tuæ Israel.
Gloria Patri.

8. *Preces sequuntur:*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Tu mandasti.

℟. Mandata tua custodiri nimis.

℣. Utinam dirigantur viæ vestræ.

℟. Ad custodiendas iustificationes vestras.

℣. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas.

℟. Domine, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium tuum.

℟. Et sana eos de interitu eorum.

℣. Vias tuas, Domine, demonstra eis.

℟. Et semitas tuas doce eos.

℣. Angelis suis mandavit de vobis.

℟. Ut custodiant vos in omnibus viis vestris.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, Deus virtutum, converte eos.

℟. Et ostende eis faciem tuam, et salvi erunt.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

9. [Oratio:] Oremus.

EXAUDI, Domine, preces nostras, et iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus ab omnibus adversitatibus tua opitulatione, defensione, iustorum desiderio ponantur effectu, et gratiarum referant actiones. Per Dominum.

10. Oratio:

EXAUDI nos, Domine, et iter famulorum tuorum inter vitæ huius pericula tuo semper protegantur auxilio. Per Dominum.

11. Oratio:

DOMINE, Deus, Pater omnipotens, qui es ductor sanctorum, et dirigis itinera iustorum: dirige angelum pacis cum omnibus famulis tuis, qui eos ad loca destinata vel optata perducant; sit eis comitatus iucundus, nullus viæ aut vitæ surripiat inimicus, procul ab eis sit malignorum accessus, et comes dignetur esse Spiritus Sanctus. Per Dominum ... eiusdem.

12. Deinde dicatur canticum:

BENEDICTUS Dominus, Deus Israel, *
 quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.
 Et erexit cornu salutis nobis *
 in domo David, pueri sui,
 Sicut locutus est per os sanctorum, *
 qui a sæculo sunt, prophetarum eius,
 Salutem ex inimicis nostris *
 et de manu omnium, qui oderunt nos,
 Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris *
 et memorari testamenti sui sancti,
 Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, *
 daturum se nobis,
 Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, *
 serviamus illi
 In sanctitate et iustitia coram ipso *
 omnibus diebus nostris.
 Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, *
 præibis enim ante faciem Domini parare vias eius,
 Ad dandam scientiam salutis plebi eius *
 in remissionem peccatorum eorum
 Per viscera misericordiæ Dei nostri, *
 in quibus visitavit nos Oriens ex alto,
 Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, *
 ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
 Gloria Patri.

13. Sequitur oratio:

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et vias famulorum tuorum, **N.**, in salutis tuæ prosperitate dispone, et inter omnes viæ huius varietates suo semper protegantur auxilio. Per.

IN REVERSIONE PEREGRINORUM14. *Dicatur psalmus:*

ECCE, quam bonum et quam iucundum *
 habitare fratres in unum,
 Sicut unguentum in capite, *
 quod descendit in barbam, barbam Aaron,
 Quod descendit in oram vestimenti eius, *
 sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion,
 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem *
 et vitam usque in sæculum.
 Gloria.

15. *[Preces:]*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. Ave, Maria.

℣. Benedicti, qui veniunt in nomine Domini.

℟. Deus, Dominus, et illuxit nobis.

℣. Domine, exaudi [orationem meam].

℟. [Et clamor meus ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

16. *[Oratio:]* Oremus.

DEUS, humilium visitator, qui fraterna nos dilectione consolaris: prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus auxilium. Per Christum.

17. *Oratio:*

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut his famulis tuis, quos ad nos incolumes redire fecisti, quicquid mentis fragilitate dereliquerint, tu propitiatus dimittas. Per Christum.

XI. [Benedictio novorum fructuum]**BENEDICTIO NOVI PANIS**1. *Oratio:*

BENEDIC, ✠ Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut sit domus eiusdem abundans in annum alimentum, gustantesque ex eo accipiant tam corporis, quam animæ sanitatem. Per Christum.

2. Oratio:

DEUS, qui, accepto et distributo pane, vetus determinans pascha, et novum insinuans, calicem accipiens benedixisti, et discipulis tuis ad bibendum porrexisti, quique, in cruce pro mundi salute positus, aquam ex latere proprio una cum sanguine proprio profluxisse superna sanctione voluisti: respice propitius humilitatis nostræ famulatum, et paratam benedictionem provide, ut, quicumque ex hoc calice mysticam sanguinis memoriam, mundato corde, gustaverit, omnium peccatorum a te misericordissimo veniam et gaudia impetrare mereatur. Qui cum Deo Patre.

BENEDICTIO UVÆ SIVE NOVÆ FABÆ

3. Oratio:

BENEDIC, ✠ Domine, hos fructus terræ novos, uvas sive fabas, quos tu, Domine per rorem cæli et inundantiam pluviarum et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione. Per Dominum.

POMORUM BENEDICTIO

4. Oratio:

DEPRECAMUR, omnipotens, æterne Deus, ut benedicas ✠ fructum pomorum novum, ut, qui esu interdictæ arboris letalis pomi in protoplasto iusti funeris sententia multiplicati sumus, per illustrationem veri Filii tui, Redemptoris, Dei ac Domini nostri, Iesu Christi, et Sancti Spiritus benedictione sanctificata sint omnia atque benedicta, depulsis atque abiectis vetusti hostis atque primi parentis facinoris intentiois insidiis, salubriter ex huius diei anniversaria sollemnitate de universis terræ edenibus germinibus sumamus. Per.

BENEDICTIO AD VASA NOVA

5. Oratio:

PROTECTOR fidelium, Deus, et subditorum peccatorum habitator: quæsumus, ut serenis oculis tuæ pietatis hæc vascula ita illustrare digneris, ut super ea descendat gratiæ tuæ larga bene[di]ctio, ut, cum salubritate utentes eis, per gratiam tuam mereantur vasa effici munda. Per Christum.

BENEDICTIO NOVÆ DOMUS

6. Oratio:

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra, descendatque super habitantes in ea tuæ gratiæ larga benedictio, ut, in his manufactis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per.

7. Oratio:

EXAUDI nos, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, et, si qua sunt contraria vel adversa in hac domo famuli tui, **N.**, auctore tuæ pietatis pellantur. Per Christum.

8. Oratio:

BENEDIC, Domine, Deus omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, sanctitas, castitas, virtus, victoria, sanctimonia, humilitas, bonitas, mansuetudo, plenitudo legis atque obœdientia tibi, Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto; hæc sit benedictio ✠ super hunc locum et super omnes habitantes in eo, nunc et in omnia sæcula sæculorum, amen.

9. Alia oratio:

DEFENDE, quæsumus, locum istum et habitatores eius a minimis usque ad maiores cum pecudibus ab igne, infirmitate, ab ira tua et ab omnibus tribulationibus atque insidiis diaboli, ut sis habitator, et custos illius loci. Per Christum.

10.

✠. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

✠. Qui fecit cælum et terram.

11. Oratio:

TE, Deum, Patrem omnipotentem, suppliciter exoramus pro hac domo et pro habitatoribus huius domus, ut eam benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris, ut sint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; tribue etiam eis de rore cæli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam, et desideria, voci eorum effectum tuæ miserationis perducas, ad introitum ergo vestrum benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es Abraham, Isaac et Iacob, ut intra parietes domus istius et angeli tui inhabitent. Per Christum.

12. Oratio:

BENEDICAT ✠ vos Deus cæli, adiuvet vos Christus, Filius Dei, corpus vestrum in sancto suo servitio confirmet, mentes vestras illuminet, sensus vestros custodiat, gratiam suam ad profectum animarum vestrarum in vobis augeat, ab omni malo vos liberet, et dextera sua vos defendat, qui sanctos suos semper adiuvat. Ipse vos adiuvere

et conservare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine maneat in sæcula sæculorum, amen.

13. Deinde aspergatur aqua benedicta:

ANGELUS Domini bonus comitetur vobiscum, et bene disponat mansionem vestram in sæcula sæculorum, amen.

XII. [Decem præcepta, sacramenta, opera misericordiæ, dona Spiritus Sancti]

ORATIO DOMINICA

1.

PATER noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

2.

AVE, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Iesus Christus. Amen.

SYMBOLUM

3.

CREDO in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sa[n]cto. Natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam. Amen.

SEQUUNTUR DECEM PRÆCEPTA, QUÆ HABENTUR EXODI (20)

4.

- Primum præceptum:** Unum crede Deum.
- Secundum præceptum:** Non assumes nomen Dei tui in vanum.
- Tertium præceptum:** Sabbata sanctifices.
- Quartum præceptum:** Honora patrem tuum et matrem.
- Quintum præceptum:** Non occides.
- Sextum præceptum:** Non furtum facies.
- Septimum præceptum:** Non mœchaberis.
- Octavum præceptum:** Non loqueris falsum testimonium.
- Nonum præceptum:** Non concupisces uxorem proximi tui.
- Decimum præceptum:** Non desiderabis rem proximi tui.

SEPTEM PECCATA MORTALIA

5.

Superbia
Avaritia
Luxuria
Ira
Gula
Invidia
Accidia

QUINQUE SENSUS CORPORIS, II DE ANIMA

6.

Visus
Auditus
Gustus
Olfactus
Tactus

PECCATA CLAMANTIA IN CÆLUM

7.

Peccatum Sodomiticum (Genesis 18.)
 Oppressio pauperum (Iacobi ultimum)
 Merces detenta laborum (Deuteronomii 24.)
 Occisio innocentum (Genesis 4.)

PECCATA IN SPIRITUM SANCTUM

8. Magister in 2. d[ivisione], 43.

Invidia fraternæ gratiæ
 Impugnatio veritatis agnitæ
 Desperatio de Dei misericordia
 Præsumptio impunitatis
 Obstinatio in peccatis
 Impænitentia finalis

PECCATA ALIENA

9. Q[uestione], 4. capitulo, ita plane:

Præcipere malum.
 Consulere malum.
 Præmittere malum.
 Participare in malo.
 Defendere malum.
 Refugium sustinere pro malo.
 Complacentiam habere in malo.
 Laudari malum sive adulari.
 Non revelare malum.

SEPTEM SACRAMENTA

10. Magister in 4. di[visione], 1.

Baptismus
 Confirmatio
 Pænitentia
 Matrimonium
 Ordo
 Eucharistia
 Extrema unctio

SEX OPERA MISERICORDIÆ

11. Matthæi 25.

Cibare esurientem
 Potum dare sitiendi
 Visitare infirmum
 Vestire nudum
 Hospitare peregrinum
 Consolari mæstum

SEPTEM DONA SPIRITUS SANCTI

12. Esaïæ 40.

Timor
 Fortitudo
 Consilium
 Pietas
 Intellectus
 Scientia
 Sapientia

CIRCUMSTANTIÆ PECCATORUM

13. Cti.

Quis?		personam.
Qualis?		statum.
Qualiter?		modum.
Quare?	Quoad	fidem.
Quotiens?		numerum.
Quando?		tempus.
Ubi?		locum.

XIII. Ordo in Purificatione sanctæ Mariæ

1. Sacerdos, indutus vestibus sollemnibus, cum turibulis et crucibus exiens de sacrario, veniat ante altare, et dicat:

Asperges me.

2. [Versiculus:]

℣. Ostende nobis, [Domine, misericordiam tuam].

℟. [Et salutare tuum da nobis.]

3. Oratio:

EXAUDI, quæsumus, Domine, plebem tuam, ut, quæ extrinsecus annua devotione tribuis venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concedas. Per Christum.

4. Ad processionem, responsorium:

*Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis archangeli dictis credidisti. * Dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum virgo inviolata permansisti. ℣. Gabrielem archangelum credimus divinitus te esse affatum, uterum tuum de Spiritu Sancto credimus impregnatum, erubescat Iudæus infelix, qui dicit Christum ex Ioseph semine esse natum. ℣. Post partum virgo.*

5. Oratio:

FAMULORUM tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce, ut, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui, Domini nostri, Iesu Christi, intercessionem salvemur. Per eundem.

6. Qua finita benedicatur novus ignis. Oratio:

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris ignem istum, quem nos indigni suscipimus per invocationem Unigeniti Filii tui, Domini nostri, Iesu Christi, quem, hodie in templo præsentatum, iustum Simeonem, diu expectantem, in ulnis suscepisse novimus, et salutare tuum ante faciem omnium populorum esse, lumen scilicet gentibus, et gloriam plebis tuæ Israel, prophetico spiritu docuit, te quæsumus, Domine, benedicere ✠ digneris lumen istud, et omnibus, illud manu gestantibus, verum lumen tuæ maiestatis concede, ut, te agnoscentes, te diligentes, te quærentes, per viam virtutum ad te valeant pervenire. Per eundem.

7. Antiphona:

Ave, gratia plena, Dei Genitrix Virgo, ex te enim ortus est sol iustitiæ, illuminans, quæ in tenebris sunt; lætare et tu, senior iuste, suscipiens Iesum in ulnas, liberatorem animarum nostrarum, donantem nobis et resurrectionem.

8. Oratio:

OMNIPOTENS, sempiternæ Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum, ulnis sancti Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum, præsentasti: tuam deprecamur supplices clementiam, ut hos cereos, quos nos, famuli tui, in tui nominis magnificentia suscipientes, gestare cupimus, luce accensos, benedicere ✠ et sanctificare ✠ atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris, quatenus eos tibi, Domino, Deo

nostro, offerendo, digni, et sancto igne tuæ dulcissimæ caritatis accensi, in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per eundem Dominum nostrum.

9. Antiphona:

Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem, Christum, amplectere Mariam, quæ est caelestis porta, ipsa enim portat regem gloriæ novi luminis, subsistit Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum, quem accipiens Simeon in ulnas suas, prædicabat populis Dominum Deum esse vitæ et mortis et Salvatorem mundi.

10. Oratio:

DOMINE, Deus omnipotens, creator cæli et terræ, rex regum et Dominus dominantium: exaudi nos, famulos tuos, clamantes et orantes ad te, precamur te, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti, qui iussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti, et qui hodierna die petitionem iusti Simeonis implesti; te humiliter deprecamur, ut has candelas, ad usus hominum et salutem animarum et corporum, sive in terra, sive in aquis, per invocationem tui sancti nominis, et per intercessionem sanctæ Mariæ virginis, Genitricis Filii tui, cuius hodie festa devoti præcolimus, et per preces omnium sanctorum tuorum benedicere ✠ et sanctificare ✠ digneris, ut hæc plebs tua, illas honorifice in manibus portans, cantando teque laudando a te, pio Domino, exaudiatur de cælo sancto tuo et de sede maiestatis tuæ, propitiusque sis omnibus, clamantibus ad te, quos redemisti pretioso sanguine Filii tui. Qui tecum vivit et regnat etc.

11. Antiphona:

Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.

12. Oratio:

BENEDIC, ✠ Domine, Iesu Christe, hanc creaturam ceræ, supplicantibus nobis, et infunde ei per Crucis tuæ sanctæ virtutem benedictione ✠ cælesti, ut, qui eam, ad repellendas tenebras, humano generi tribuisti, talem signaculo sanctæ Crucis tuæ fortitudinem et benedictionem ✠ accipiat, ut, in quibuscumque locis accensa sive imposita fuerit, discedat et contremiscat ille malignus diabolus, et effugiat pavidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare servientes Deo. Proinde supplices quæsumus, Domine, ut emittas angelum tuum, Raphaellem, ut, qui evulsit et expulit a Sara et Tobia dæmonem mortiferum et infestantem contra illum, et perdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de cunctis locis, in quibuscumque Deo famulantes habitant et requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant et consistunt, non valeat amplius inquietare, vel pavorem immittere super illos, quos chrismatis tui unctio fecit esse munitos. Benedico ✠ te, creatura ceræ in nomine Domini Dei nostri, et

sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio diaboli et omnium contubernalium eius. Per eum, qui vivit et regnat.

13. *Muta vocem ad modum præfationis.*

[V.] Per omnia sæcula sæculorum.

[R.] Amen.

[V.] Dominus vobiscum.

[R.] Et cum spiritu tuo.

[V.] Sursum corda.

[R.] Habemus ad Dominum.

[V.] Gratias agamus Domino, Deo nostro.

[R.] Dignum et iustum est.

14. [Præfatio:]

Uet iustum est, æquum et salutare ... Qui per serenissimam ac placidissimam stellam, Genitricem tuam, cuius sacratissimum nomen per ineffabile et inenarrabile meritum stella maris interpretatur, humanum genus illuminare dignatus es. Pro hac maximo gaudio hodierna die ovantes, et ideo in nostris manibus venerabiliter candelas ferentes, et incessabili voce clamantes, ut pro dulcissimo amore et clementissima intercessione tuæ dignæ Genitricis semperque Virginis nos indignos, sed tamen pretioso sanguine tuo redemptos, te æterno ac lumine vero facias clementer perfrui. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas.

15. *Oratio:*

OMNIPOTENS, sempiternus Deus, qui per Moysen famulum tuum, purissimum olei liquorem ad luminaria, ante conspectum tuum iugiter continuanda, præparare iussisti: benedictionis ✠ tuæ gratiam super hos cereos benignus infunde, quatenus sic administrent lumen exterius, ut, te donante, lumen Sancti Spiritus in nostris non desit cordibus interius. Per eundem.

16. *Qua finita, cantor incipiat:*

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Ps. Nunc dimittis servum.

17. *Et sic cantetur cum singulis versibus, et interim accendantur candelæ. Tunc sequitur oratio:*

ILLUMINA, quæsumus, Domine, populum tuum, et splendore gratiæ tuæ cor eius semper accende, ut Salvatorem suum incessanter agnoscat, et veraciter apprehendat. Per Christum Dominum.

18. *Choratores in reversione incipiant hymnum:*

Quod chorus vatum, vel hymnum: Lux mundi beatissima.

19. Cum pervenerit ad chorum, sacerdos dicit:

[V.] Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto.

[R.] Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

20. Oratio:

DA, quæsumus, Domine, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut, qui Unigenitum tuum, in tua tecum gloria sempiternum ut in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur, et a præsentibus liberentur adversis, et «a» mansuris gaudiis inserantur. Per.

21. Tunc sequitur antiphona:

Cum inducerent puerum Iesum parentes eius, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace. Ps. Benedictus Dominus.

22. Versiculus

[V.] Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto.

[R.] Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

22. Oratio:

PERFICE in nobis, Domine, quæsumus gratiam tuam, qui iusti Simeonis expectationem implesti, ut, sicut ille, priusquam Christum Dominum videre mereretur, mortem non vidit, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per eundem.

23. Deinde agitur missa ordine suo.

XIV. In capite ieiunii

1. Exorcismus cinerum:

EXORCIZO te, cinis, in nomine Patris ✠ omnipotentis et in nomine Iesu Christi, ✠ Filii Dei et Spiritus ✠ Sancti, qui te per ignem in favillam converti præcepit, ut, sicut iussione Dei per sanctum famulum eius Moysen cinis vitulæ, in populo aspersus, omnem congregationem filiorum Israel sanctificavit, ita et tu exorcizatus sis, in nomine sanctæ Tritinatis ✠ in terra et in cilicio aspersus, in eis, qui scrutinia sunt habituri, super stantes vel transituros diabolus non lateat, sed manifestetur et expellatur, ut puri et sinceri inveniantur. — Te autem petimus et rogamus, Pater omnipotens, ut, sicut Ninivitarum populi, ad prædicationem Ionæ prophetæ misericordiam tuam, Domine, exorantes, suorum veniam meruerunt consequi peccatorum, ita et hi, qui ad tuam gratiam percipiendam venire desiderant, amputatis maculis carnalibus, per sacri baptismatis regenerationem, suorum finem constituent vitiorum. Per Dominum.

2. Alia oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus: parce metuentibus, propitiare supplicantibus, et mittere dignare sanctum angelum tuum de cælis, qui benedicat ☩ et sanctificet ☩ hos cineres, ut sint remedium salutare omnibus, nomen tuum sanctum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, et ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixèque flagitantibus, præsta, quæsumus per invocationem sanctissimi nominis tui, ut, quicumque eos super se asperserint pro redemptione peccatorum, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per Dominum nostrum.

3. Oratio:

DEUS, qui non mortem, sed pænitentiam desideras peccatorum: fragilitatem humanæ conditionis benignissime respice, et hos cineres, quos causa proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus nostris imponi decernimus, benedicere pro tua pietate digneris, ut, qui nos cinerem esse, et ob pravitatis nostræ meritum in pulverem reversuros cognoscimus, omnium peccatorum veniam, et præmia, pænitentibus repromissa, misericorditer consequi mereamur. Per Dominum.

4. Tunc aspergantur cineres aqua benedicta, deinde sequitur antiphona:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum¹ tuarum respice nos, Domine. Ps. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. V. Gloria.

5. Sequitur: Oremus. Diaconus: Flectamus genua, Levate. Oratio:

CONCEDE nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiuniis, ut, contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilii. Per Christum Dominum.

6. Antiphona:

Immutemur habitu, in cinere et cilicio, ieiunemus et ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra, Deus noster. Ps. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

7. Antiphona:

Iuxta vestibulum et altare plorabant sacerdotes et levitæ, ministri Domini, dicentes: Parce, Domine, parce populo tuo, et ne dissipet ora clamantium ad te, Domine. Ps. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

8. Interim, quod canuntur antiphonæ, ponendi sunt cineres a sacerdote, vel ab episcopo, dicente:

Memento homo, quia cinis et pulvis es, et in cinerem et pulverem reverteris.

¹ Ed. meserationem

9. Hoc finito, sequitur responsorium:

*Emendemus in melius, quod ignoranter peccavimus, ne, subito praecipitati die mortis, queramus spatium paenitentiae, et invenire non possimus. * Attende, Domine, et miserere, quia peccavimus tibi. V. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.*

10. Psalmus:

Miserere.

11. [Preces:]

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

V. Et ne nos [inducas in tentationem].

R. Sed libera nos a malo.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

R. [Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.]

V. Domine, exaudi [orationem meam].

R. [Et clamor meus ad te veniat.]

V. Dominus vobiscum.

R. [Et cum spiritu tuo.]

12. Oratio:

EXAUDITOR omnium, Deus: exaudi nostrorum vocem fletuum, et tribue infirmitatibus nostris perpetuam sospitatem, ut, dum dignanter gemitu[m] nostri laboris suscipis, tua nos misericordia consoleris. Per Dominum.

XV. Ordo in die Ramispalmarum

1. Hora tertia conveniant omnes clerici, induti sollemniter vestibus sacris. Et sacerdos aspergat aquam benedictam, incipiendo antiphonam:

Asperges me.

2. [Versiculus:]

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

R. [Et salutare tuum da nobis.]

3. Oratio:

VISITA, quæsumus, Domine, plebem tuam, et sacris dedicata corda mysteriis pietate tuere pervigili, ut remedia salutis æternæ, quæ, te inspirante, suscepit, te protegente, custodiat. Per Dominum.

4. Tunc, exeuntes de choro cum plena processione ad locum præordinatum, cantantes responsorium:

Ingressus Pilatus cum Iesu in prætorium, tunc ait illi: Tu es rex Iudæorum? Respondit: Tu dicis, quia rex sum. Exiit ergo Iesus de prætorio, portans coronam et vestem purpuream.

** Et cum indutus fuisset, exclamaverunt omnes: Crucifigatur, quia Filium Dei se fecit. V. Tunc ait illis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Regem non habemus, nisi Cæsarem. Et cum.*

5. Quo finito cum repetitione, mox incipitur responsorium:

*Circumdederunt me viri mendaces, sine causa flagellis circumdederunt me, * sed tu, Domine, defensor, vindica me. V. Quoniam tribulatio proxima est, et non est, qui adiuvet. Sed.*

6. Cum suo versu, et repetitur responsorium, quibus finitis dicitur:

V. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

R. Et cum viris sanguinum vitam meam.

7. Oratio:

ADIUVA, Domine, fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ festivitatis officium, intercedente beata Dei Genitrice, Virgine Maria, et corporaliter gubernata recurat, et ad perpetuam gloriam devota mente perveniat. Per eundem Christum.

8. His expletis, sequitur salutatio a sacerdote, dicens:

V. Dominus vobiscum.

R. [Et cum spiritu tuo.]

9. [Oratio:] Oremus.

DEUS, qui hodierna die, ad insinuandum humilitatis exemplum, super asinam sedere, et a turbis rex appellari voluisti: respice ad devotam populi humilitatem, ut, quicumque cum palmis et ceteris frondibus, laudi tuæ dedicatis, in memoriam huius venerandæ festivitatis devotus occurrerit, tibi, iudici venienti, cum palma victoriæ et fructu bonorum operum securus occurrat. Qui vivis et regnas.

10. Lectio libri Exodi (16):

IN diebus illis. Venerunt filii Israël in Helim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ, et castrametati sunt iuxta aquas. Profectique sunt de Helim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Helim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. Dixeruntque ad eos filii Israel: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū, et comedebamus in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem hanc fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panem de cælo. Egre diatur populus, et colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eum, utrum ambulent

in lege mea, an non. Die autem sexta parent, quod inferant, et sit duplum, quam colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israhel: Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam eius.

11. Sequitur a cantore responsorium:

*Collegerunt pontifices et pharisæi consilium, et dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. * Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem. †. Unus autem ex illis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, prophetavit, dicens: Expedi vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum, dicentes: Ne.*

12. Sequitur Evangelium secundum Matthæum (21):

IN illo tempore. Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, et venisset Betphage, ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea; solvite, et adducite mihi. Et, si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt, sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternerant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant et sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini.

13. Antiphona:

Ante sex dies sollemnis Paschæ, quia venit Dominus in civitatem Ierusalem, occurrerunt ei pueri, et in manibus portabant ramos palmarum, et clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis, benedictus, qui venisti in multitudine misericordiæ, hosanna in excelsis.

SEQUITUR EXORCISMUS FLORUM ET FRONDIUM

14.

EXORCIZO te, creatura florum et frondium, in nomine ✠ Domini nostri, Iesu Christi, Filii Dei, omnis virtus inimici, omnisque incurio dæmonum eradicare et explantare ab hac creatura Dei, et ut hanc gerentes et ad gratiam Dei festinantes non inquietare, non illudere præsumas, interdico tibi. Per eum, qui venturus est iudicare.

15. Sequitur:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

16. [Oratio:] Oremus.

BENEDIC, ✠ Domine, quæsumus hos palmarum et arborum ramos, et præsta, ut quod populus tuus pia veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter suprema devotione perficiat, de hoste victoriam reportando, et opus misericordiæ summopere diligendo; humiliter etiam deprecamur, ut prædictarum arborum germina ita sanctificare ✠ digneris, ut loca, ad quæ portata fuerint, sanctificata efficiantur, quo iniquitas omnis seu illusio dæmonum abscedat, et tua nos semper dextera protegere dignetur. Per Dominum.

17. Antiphona:

Cum audisset populus, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et exierunt ei obviam, et clamabant pueri, dicentes: Hic est, qui venturus est in salutem populi. Hic est salus nostra et redemptio Israel. Quantus est iste, cui throni et dominationes occurrunt. Noli timere, filia Sion, ecce, rex tuus venit tibi, sedens per pullum asinæ, sicut scriptum est. Salve, rex, fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

18. Oratio:

DEUS, cuius Filius pro salute humani generis descendit de cælis ad terras, et, appropinquante passionis suæ hora, Hierosolymam in asino venire, et a turbis rex appellari ac laudari voluit: benedicere ✠ dignare hos palmarum ceterarumque frondium ramos, ut omnes, qui eos laturos sunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, ut hic et in futuro cum palma victoriæ et fructu bonorum operum valeant apparere. Per eundem.

19. Oratio:

DEUS, qui per olivæ ramum pacem terris columbam nuntiare iussisti: præsta, quæsumus, ut hos palmarum vel aliarum arborum ramos tua cælesti bene[di]ctione ✠ sanctifices, ut cuncto populo proficiant ad salutem. Per.

20. [Oratio:] Oremus.

OMNIPOTENS, sempiternus Deus, qui Dominum nostrum, Iesum Christum, hodierna die super pullum asinæ sedere fecisti, et populorum turbas vestimenta vel ramos arborum in via sternere, et hosanna decantare in laudem ipsius docuisti: da, quæsumus, ut illorum innocentiam imitari possimus, et eorum meritum consequi mereamur. Per eundem.

21. Oratio:

DEUS, qui Filium tuum Unigenitum pro redemptione nostra dignatus es mittere in mundum, ut populum tuum, ab initio in profundum peccati demersum, a morte revocares ad vitam, et, chirographo letali deleto, sanguine Filii tui regnum gentibus innovares; Deus, qui dispersa congregas, et congregata conservas, qui populis obviam Christo ramos palmarum portantibus benedixisti: benedic ✠ etiam et hos ramos palmæ et aliarum arborum, quos famuli tui ad nominis tui benedictionem fideliter suscipiunt, ut, in quocumque loco introducti fuerint, benedictionem ✠ tua[m] consequantur, ut, omni adversa valitudine effugata, dextera tua protegat, quos redemit. Per eundem Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

22. [Præfatio:]

℣. Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et iustum est.

Uet iustum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater omnipotens, æterne Deus. Mundi conditor omniumque creaturarum di[s]pensator mirabilis; Deus, qui inter ipsa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta condideras, ligna quoque fructifera et diversa usui congrua terram producere iussisti, ac post maledictum interdictæ arboris universa nobis per obœdientiam Unigeniti Filii tui in benedictionem convertisti: benedic ✠ etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas arbor olivæ pinguedine cunctas præcellit. Per quam etiam, cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, columba, ramum eiusdem deferens, pacem terris redditam nuntiavit, necnon et innocens turba, Spiritu Sancto afflata, Unigenito tuo, Domino nostro, Iesu Christo, pro totius mundi salute passuro, obviam currens, palmarum et huius arboris ramos abscindens, ac vestigiis eius substernens, iam quasi triumphatorem, devicto mortis principe, ostendebat. Te, igitur, Domine, suppliciter deprecamur, ut, qui annua devotione eiusdem Redemptoris nostri sacratissimam passionem prævenire nitimur, ipso adiuvante, palmam victoriæ tenentes, atque oleo misericordiæ intrinsecus refulgentes, in eius sancta resurrectione præmium vitæ et immortalitatis coronam accipere mereamur. Per eundem.

23. Tunc aspergantur rami et flores aqua benedicta, et dicitur antiphona:

Fulgentibus palmis prosternimur advenienti Domino: huic omnes occurramus cum hymnis et canticis, glorificantes, et dicentes: Benedictus.

24. Tunc dividantur rami palmarum et frondium populis. Deinde dicitur oratio:

OMNIPOTENS, sempiternus Deus, qui Christi, Filii tui beata passione nos reparas: conserva in nobis opera misericordiae tuae, ut in huius celebritate mysterii devotione perpetua vivamus. Per eundem.

25. In redeundo incipiat cantor antiphonam:

Cum appropinquaret Dominus Hierosolymam, misit duos ex discipulis suis, dicens: Ite in castellum, quod econtra vos est, et invenietis pullum asinae alligatum, super quem nullus hominum sedit; solvite, et adducite mihi; si quis vos interrogaverit, dicite: Opus Domini est. Solventes, adduxerunt ad Iesum, et imposuerunt sibi vestimenta, et sedit super eum. Alii expandebant vestimenta sua in via. Alii ramos de arboribus exsternebant, et, qui sequebantur, clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum regnum patris nostri, David. Hosanna in excelsis, miserere nobis, fili David.

26. Postea incipiant pueri hymnum:

*Gloria, laus et honor tibi sit, rex, Christe, Redemptor,
cui puerile decus prompsit hosanna pium. Gloria.*

*Israel es tu rex, Davidis et incluta proles,
nomine qui in Domini, rex benedicte, venis. Cui puerile.*

*Cœtus in excelsis te laudat cœlitus omnis,
et mortalis homo, [et] cuncta creata simul. Gloria.*

*Plebs Hebræa tibi cum palmis obviam venit
cum prece, voto, hymnis assumus, ecce, tibi. Cui.*

*Hi tibi passuro solvebant munia laudis,
nos tibi regnanti pangimus, ecce, melos. Gloria.*

*Hi placuere tibi, placeat devotio nostra,
rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent. Cui puerile.*

27. Repetitur: Gloria laus. Tunc proiciat ramos palmarum ante crucem, cantando:

Pueri Hebræorum, tollentes ramos olivarum, Chorus: obviaverunt Domino, clamantes et dicentes: Hosanna in excelsis.

28. Deinde proiciant vestimenta sua, cantando:

Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, Chorus dicat: et clamabant, dicentes: Hosanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini.

29. Qua finita, sequitur a sacerdote:

Scriptum est enim: Percutiam pastorem, Chorus: et disperguntur oves gregis, postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis, dicit Dominus.

30. Qua finita, omnes prosternant se, crucem salutando. Deinde sequitur oratio a sacerdote:

AUGE fidem in te sperantium, Deus, et supplicum preces clementer exaudi, ut, sicut in figura Ecclesiae multiplicasti Noe, egredientem de arca et Moysen, exentem de Ægypto cum filiis Israel, ita et nos cum operum fructibus occurramus obviam Christo, et per ipsum in gaudium introeamus æternum. Per eundem. **Respondit chorus:** Amen. **Deinde sacerdos orationem continuat.**

31. Oratio:

DEUS, qui miro ordine dispositionis ex rebus etiam insensibilibus dispensationem nostrae salutis ostendere voluisti: da, quæsumus, ut devota tuorum corda fidelium salubriter intelligant, quid mystice designetur in facto, quod hodie, caelesti lumine afflata Redemptori obviam procedens, palmarum atque olivarum ramos vestigiis eius turba substravit. Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos exspectant, surculi vero olivarum spiritualem unctionem advenisse clamant. Intellexit enim iam tunc illa hominum multitudo beata præfigurari, quia Redemptor noster, rebus humanis condolens, pro totius mundi vita cum mortis principe citius esset pugnaturus, ac moriendo triumphaturus; et ideo talia obsequens administravit, quæ in illo triumphos victoriae et misericordiae pinguedinem declar[ra]ent. Quod nos quoque, plena fide et factum et significatum retinentes, te, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, per eundem Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium tuum suppliciter exoramus, ut in ipso atque per ipsum, cuius nos membra fieri voluisti, de mortis imperio victoriam reportantes, ipsius gloriosae resurrectionis participes esse mereamur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

32. Intrante clero ecclesiam, succentor incipit responsorium:

*Ingressante Domino in sanctam civitatem Hebraeorum, pueri resurrectionem vitae pronuntiantes, * cum ramis palmarum hosanna clamantes in excelsis. V. Cumque audissent, quia Iesus venit Hierosolimam, exierunt obviam ei. Cum ramis.*

33. Quo finito, incipit antiphonam:

Turba multa, quæ convenerat ad diem festum, clamabat Domino: Benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. Ps. Benedictus Dominus, Deus Israel sine Gloria Patri. Repetitur antiphona: Turba multa.

34. Qua finita, sequitur versiculus:

V. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

R. Et cum viris sanguinum vitam meam.

35. Oratio ante altare:

ADIUVA nos, Deus, salutaris noster, et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Christum.

36. Deinde agitur missa ordine suo.

XVI. In Cena Domini

1. Procedat episcopus cum presbyteris et clero in ecclesiam circa horam vesperam, et eat ad locum, ubi mandatum perficere voluerit. Et, cum illuc pervenerit, incipiat subdiaconus epistolam Pauli sine titulo, in modum lectionis:

FRATRES. Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos, in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotienscumque bibetis in meam commemorationem. Quotienscumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque, quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicemus, non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

2. Qua finita, diaconus incipiat evangelium sollemniter, sine Dominus vobiscum:

ANTE diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit eius hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cena facta, cum iam diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Scariothis, sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cena, et ponit vestimenta sua. Et, cum accepisset linteam, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Iesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non laveris te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua. Et cum recubisset, iterum dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi vestros pedes, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

3. Finito evangelio, dicitur oratio:

DEUS, cuius sacratissimam cenam veneramur, ut ea digni inveniamur: munda nos, quæsumus a sordibus peccatorum, qui, ad insinuandum nobis humilitatis exemplum, pedes tuorum hodie dignatus es lavare discipulorum. Qui cum Patre.

4. Deinde cantor incipiat antiphonam:

Ante diem festum Paschæ, aut Cena facta, dixit, cum sequentibus antiphonis, sicut in libris continentur. Interim, dum antiphonæ cantantur, in pelvim aqua ponatur. Et, episcopo primo incipiente, mutuatim pedes laventur, et linteo tergantur.

5. Post hæc sequuntur versiculi:

℣. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam.

℟. In medio templi tui.

℣. Tu mandasti, Domine, mandata tua.

℟. Custodiri nimis.

℣. Tu lavasti pedes discipulorum tuorum.

℟. Opera manuum tuarum ne descipias.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

6. Oratio:

ADESTO, Domine, nostræ servitutis officio, et quia tu lavare dignatus es pedes discipulorum tuorum, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti, ut, sicut abluuntur exteriora pedum inquinamenta, sic a te omnium nostrorum interiora laventur peccata. Qui cum Patre.

7. Post hæc facit episcopus sermonem ad clerum. Quo finito, in redeundo dicitur hymnus:

Tellus ac æthera iubilat.

8. Postea, venientes presbyteri et diacones in ecclesiam, denudent altaria, cantantes antiphonam:

Diviserunt sibi vestimenta mea. Interim dominus episcopus lavat omnia altaria. Et una pars chori canit psalmum: Deus, Deus meus, respice, et alia pars semper repetit antiphonam: Diviserunt sibi, sine Gloria.

9. Tunc finaliter sequitur responsorium

Hierusalem, luge, cum versu sine¹ Gloria Patri.

¹ Ed. sive

XVII. Ordo in die Parasceves

1. Hora sexta conveniant in ecclesiam clerici et laici, et parent se presbyteri et diaconi, quantum opus sit ad ministrandum domino pontifici cum cantoribus et reliquis ministris, vestibus quadragesimalibus, et veniant ad altare, ubi officium agatur. Ibique legantur prophetiæ cum orationibus et passione, ut in missali. Quibus expletis, duo acolythi præparati portent crucem velatam de sacrario, sequentibus presbyteris, casulis indutis, et cantantibus versus subsequentes:

Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te, responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti crucem Salvatori tuo? Sequitur a duobus cantoribus: Agyos Otheos. Agyos ischyros. Agyos athanatos, eleyson ymas. Deinde chorus dicat: Sanctus Deus. Sanctus fortis. Sanctus et immortalis, miserere nobis.

Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis optimam, parasti crucem Salvatori tuo? Agyos et Sanctus, ut supra.

Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, tu facta es mihi nimis amara, aceto namque felle mixto sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo? Agyos et Sanctus, ut supra.

2. Tunc sint ibi tapetia strata ad prosternendum domino pontifici, et ipse pontifex, sive sacerdos discooperiat crucem, et incipiat alta voce:

Ecce, lignum Crucis, Chorus prosequitur: in quo salus mundi pependit, venite adoremus. Trina vice cantetur absque versu, et post tertiam inchoationem, canit chorus versum: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

3. Deinde immediate sequitur antiphona:

Dum fabricator mundi mortis supplicium pateretur, in cruce clamans voce magna, tradidit spiritum, et ecce, velum templi scissum est, monumenta aperta sunt, tremotus enim factus est magnus, quia mortem Filii Dei clamabat mundus, se sustinere non posse; aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exivit sanguis et aqua in redemptionem salutis nostræ. Antiphona. ¶ O, admirabile pretium, cuius pondere captivitas redempta est mundi, thartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis ianua regni.

4. Finitis antiphonis, tunc duo cantent hymnum:

1. *CruX fidelis, inter omnes
arbor una nobilis:
nulla silva talem profert
fronde, flore, germine,
dulce lignum, dulces clavos,
dulce pondus sustinet. CruX fidelis.*

2. *Pange, lingua, gloriosi
prelium certaminis,
et super Crucis trophæum
dic triumphum nobilem,
qualiter Redemptor orbis
immolatus vicerit. Dulce lignum.*

3. *De parentis protoplasti
fraude factor condolens,
quando pomi noxialis
morsu in mortem corrui,
ipse lignum tunc notavit,
damna ligni ut solveret. Crux fidelis.*

4. *Hoc opus nostræ salutis
ordo depoposcerat,
multiformis proditoris
ars ut artem falleret,
et medelam ferret inde,
hostis unde læserat. Dulce lignum.*

5. *Quando venit ergo sacri
plenitudo temporis,
missus est ab arce Patris,
natus, orbis conditor,
atque ventre virginali,
caro factus, prodiit. Crux.*

6. *Vagit infans, inter arta
positus præsepia,
membra, pannis involuta,
virgo mater alligat,
et pedes manusque crura
stricta cingit fascia. Dulce.*

11. *Gloria et honor Deo
usquequo Altissimo,
una Patri Filioque,
inclyto Paraclito,
cuius laus est et potestas
per æterna sæcula. Crux.*

7. *Lustra sex qui iam peracta,
tempus implens corporis,
se volente, natus ad hoc,
passioni deditus,
Agnus in Cruce levatur,
immolandus stipite. Crux.*

8. *Hic acetum, fel, harundo,
sputa, clavi, lancea,
mite corpus perforatur,
sanguis, unda profluit,
terra, pontus, astra, mundus
quo lavantur flumine. Dulce.*

9. *Flecte ramos, arbor alta,
tensa laxa viscera,
et rigor lentescat ille,
quem dedit nativitas,
ut superni membra regis
miti tendas stipite. Crux.*

10. *Sola digna tu fuisti
ferre pretium sæculi,
atque portum præparare,
nauta, mundo naufrago,
quem sacer cruor perunxit,
fusus Agni corpore. Dulce.*

5. *Sequuntur orationes ad adorandam crucem:*

DOMINE, Iesu Christe, Deus verus de Deo vero, qui pro redemptione generis humani, serpentina suasionem decepti, mundum erroribus implicatum illuminare, et Crucis patibulum subire voluisti, ut lignum ligno vinceres, et peccati hereditariam mortem morte potentissima superares: exaudi nos miseros et indignos, ante oculos tuæ benignissimæ maiestatis adorantes te, et benedicentes nomen tuum sanctum atque terribile, et concede nobis miseris, te puro corde sapere, te laudare, te prædicare, et per vexillum sanctæ Crucis istius, quam hodie in tuo nomine adoraturi advenimus, mentes nostras corporaque sanctifica, scuto fidei tuæ nos circumcinge, galeam salutis nobis impone, gladio spirituali accinge, ut, contra hostem nequissimum bellaturi, et tuæ

miserationis muniamur auxilio et salutiferæ Crucis vexillo, cunctique, tuo sancto nomine insigniti, ab hostis perfidi sint incursione securi. Qui vivis.

6. *Alia oratio:*

DEUS, qui Moysi famulo tuo in via squalentis eremi serpentem æneum in media populi multitudine, ad liberandas letali veneno infectas animas, exaltari iussisti, ut, si quis, mortifero vulnere inflictus, ad eum respiceret, et venenum exitiale evaderet, et optatæ salutis vitam adipisceretur, significans teipsum futurum post curricula pro tui salute plasmatis Crucis extollendum patibulo, ut quos diabolus armis invidiæ captivaverat, tua desiderabilis passio ad patriam revocaret: concede nobis miseris et peccatoribus, et omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem supplices venerantur, lignumque vitæ adorant, ut diaboli insidias, te adiuvante, vincamus, et æternæ vitæ participes esse mereamur. Per te, Iesu Christe.

7. *Alia oratio:*

DOMINE, Iesu Christe, qui nos per Crucis passionem hodierna die a diabolica servitute liberasti, ut, quo die hominem creaveras, eodem die et reformares: exaudi nos miseros et peccatores coram hoc signaculo Crucis confitentes et deprecantes, ut huius venerabilis et vitalis ligni tuitione muniti, et hostis nequissimi ignea tela repellere, et ab inflictis evacuari vulneribus, et ad vitam æternam valeamus pervenire. Qui cum Deo Patre.

8. *Tunc pontifex sive sacerdos salutet crucem cum omni clero et populo. Deinde complentur cetera, ut in missali.*

XVIII. Ordo in Sancto Sabbato

1. *Item ornetur ecclesia omnibus ornamentis et utensilibus suis. Hora sexta conveniat omnis clerus in ecclesiam, et præparet se unusquisque vestibus sollemnibus ad suum ordinem, sicut mos est. Deinde procedant ad ignem de silice excus[s]um cum plena processione et aqua benedicta et turibulo, tamen sine igne. Legendo satis alte psalmos quindecim graduum, scilicet:*

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, *sine* Gloria.

2. *Et benedicat sacerdos ignem in hunc modum:*

℣. Dominus vobiscum.

℟. [Et cum spiritu tuo.]

3. [Oratio:] Oremus.

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus: in nomine tuo et Filii tui, Domini nostri, Iesu Christi, benedicimus ✠ hunc ignem cum cera et omnibus alimoniis eius sanctificamus: et signo Crucis ✠ Christi, Filii tui vivi, altissimi signamus,

ut, intus vel foris accensus, quod nocet, non incendat, sed omnia ad usus hominum necessaria caleseat, sive illuminet, et quæ ex hoc igne fuerint conflata vel calefacta, sint benedicta, et omni humanæ saluti utilia, ut non cum Dathan et Abiron, ignem tibi offerentibus alienum, incendamur, sed cum Aaron pontifice et filiis eius, Eleazaro et Ithamaro, hostias tibi pacificas, Spiritus Sancti igne assatas, immolare valeamus, et semper eiusdem Spiritus Sancti igne vitia nostra ure, cordaque luce scientiæ tuæ illumina, et animas nostras calore fidei clarifica. Per eundem ... in unitate eiusdem.

4. *Alia oratio:*

OMNIPOTENS, sempiternus Deus, mundi conditor, luminis siderumque fabricator, per cuius ineffabilem potentiam omnis claritas sumpsit exordium: te in tuis operibus invocamus; aperi nobis, quæsumus, labia nostra, ad confitendum nomini tuo, et ad laudem gloriæ tuæ, ut digne celebrare mereamur sacrum officium tuum, quia in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis cereum tuæ suppliciter offerimus maiestati. Per.

5. *Oratio:*

DEUS, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, caritatis ignem fidelibus contulisti: productum ex silice, nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica, ✠ et concede nobis ita per hæc festa paschalia cælestibus desideriis inflammari, ut ad perpetua festa, purgatis mentibus, pertingere valeamus. Per eundem Christum.

6. *Oratio:*

DOMINE, Deus noster, Pater omnipotens: exaudi nos, lumen indeficiens, tu, sancte conditor omnium luminum; benedic, ✠ quæsumus, hoc lumen, quod a te sanctificatum atque benedictum est, qui illuminas omnem mundum, ut ab eo lumine incendamur et illuminemur, scilicet igne caritatis tuæ, quo Moysen illuminasti, et hoc lumen tribue cordibus nostris, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

7. *Oratio:*

DOMINE, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus: benedicientibus nobis hunc ignem in nomine tuo et Unigeniti Filii tui, Dei ac Domini nostri, Iesu Christi, et Spiritus Sancti, cooperari dignare, et adiuva nos. Qui vivis et regnas cum eodem Unigenito tuo et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

8. *Tunc aspergat sacerdos ignem aqua benedicta, moxque accendantur candelæ. Deinde incensum, tu videlicet in cereo ponendum, absolute benedicat, hanc dicendo orationem. Oratio:*

VENIAT, quæsumus, omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ benedictionis infusio, et hunc nocturnum splendorem invisibilis regeneratores accende, ut

non solum sacrificium, quod hac nocte litatum, est arcana luminis tui admixtione refulgeat, sed in quocumque loco ex huius sanctificationis mysterio aliquid fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ maiestatis assistat. Per.

9. Redeuntibus vero in ecclesiam, cantentur a duobus clericis isti versus:

Inventor rutili etc.

10. Quibus finitis, sequitur benedictio super cereum:

Exsultet iam angelica.

11. Deinde leguntur lectiones duodecim cum orationibus et tractibus eorum. Illis terminatis ordinentur cruces et vexilla et evangelium et capsula et sanctum oleum et chrisma et reliqua, ad benedictionem fontis necessaria; deinde officians sacerdos cum cuncto clero et omni ornatu ecclesiæ procedat ad fontem, et duo cerei portentur ante eum, usquedum omnia finiantur, litania videlicet «et» septena. Euntibus autem ad fontem, cantetur hymnus:

Rex sanctorum angelorum, totum mundum adiuva. Chorus: Rex sanctorum angelorum.

*Ora primum tu pro nobis, Virgo, Mater germinis,
et ministri Patris summi, ordines angelici. Chorus: Totum.*

*Supplicate Christo regi, cœtus apostolici,
supplicetque permagnorum sanguis fusus martyrum.*

*Implorate, confessores consonæque virgines,
quo donetur magnum nobis tempus indulgentiæ.*

*Omnes sancti atque iusti, nos precamur cernui,
ut purgetur crimen omne vestro sub oramine.*

*Huius, Christe, rector alme, plebis vota suscipe,
qui plasmasti protoplastum et genus gignentium.*

*Mitte Sanctum nun amborum Spiritum Paraclitum
in hanc plebem, quam recentem fons baptismi parturit.*

*Fac in terra fontis huius sacratum mysterium,
qui perfluxit cum cruore sacro Christi corpore.*

*Et letetur mater sancta, tota nunc Ecclesia
ex profectu renascentis tantæ multitudinis.*

*Presta Patris atque Nati compar Sancte Spiritus,
ut te solum semper omni diligamus tempore.*

Rex sanctorum.

12. *Deinde sacerdos dicat legendo:* Pater noster *etc.*, Credo in Deum.

℣. Quoniam apud te est fons vitæ.

℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum [spiritu tuo].

13. [Oratio:] Oremus.

OMNIPOTENS, sempiternus Deus: adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, et ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte, ut, quod humilitatis nostræ gerendum est mysterio, tuæ virtutis compleatur effectus. Per Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

14. [Præfatio:]

℣. Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino, Deo nostro.

℟. Dignum et iustum est.

Uet iustum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui invisibili potentia sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, et, licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen, gratiæ tuæ dona non deferens, etiam ad preces nostras aures tuæ pietatis inclinas. Deus, cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet; Deus, qui, nocentis crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius eiusdemque elementi mysterio et finis esset vitii, et origo virtutibus; respice, Domine, in faciem Ecclesiæ tuæ, et multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum, gentibus invocandis, ut tuæ maiestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto. *Hic aquam manu tangat in modum crucis.* Qui hanc aquam, regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admixtione fecundet, ut, sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam reatam creaturam progenies cælestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, iubente te, Domine, omnis spiritus immundus abscedat. Procul ergo tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non insidiando circumvolet, non lætando surripiat, non inficiendo corrumpat. *Iterum manu tangat*

aquam, in modum crucis. Sit hæc sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, et totius nequitiae pugata discessu. Sit fons ✠ vivus, aqua regenerans, ✠ unda ✠ purificans, ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. Unde benedico ✠ te, creatura aquæ, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te in principio verbo separavit ab arida, cuius Spiritus super te ferebatur, qui te de paradiso manare præcepit, *Hic eiiciat aquam in modum crucis.* ✠ et in quattuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deserto aquam amarum, suavitate indita, fecit esse potabilem, et sitiienti populo de petra produxit. Benedico ✠ te per Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili sua potentia convertit in vinum. Qui pedibus super te ambulavit, et a Ioanne in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine suo de latere produxit, et discipulis suis iussit, ut credentes in te baptizarentur, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* *Hic muta vocem, quasi legens lectionem:* Hæc nobis præcepta servantibus tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira. *Hic suffla in aquam ter, in modum videlicet crucis:* Tu has supplices aquas tuo ore *Hic iterum suffla in modum crucis* benedico, ✠ ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces. *Hic pone cereum ardentem in aquam, dicendo ter:* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti, *Et ultimo teneas cereum in aqua, quousque sub notis eiusdem illam etiam dixeris particulam:* et totam huius aquæ substantiam regenerandi fecundet effectu. *Hic sume cereum extra aquam, et dic:* Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura, ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur, ut omnis homo, hoc sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentia¹ novam infantiam renascatur. *Hic muta vocem, et lege plane:* Per Dominum ... in unitate eiusdem Spiritus Sancti.

15. *Hic mittatur chirma a sacerdote in fontem in modum crucis:*

IN nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Paracliti sanctificetur ✠ et fecundet de hoc oleo salutifero et chrismate fons iste, ad abluenda crimina, et ad regenerandas animas in vitam æternam, amen.

16. *Finitis autem omnibus, choratores litaniam cantent. Dum autem perventum fuerit ad illum versum: Ut fontem istum, ministrans surgat, et dicat sub eiusdem notis:*

Ut fontem istum benedicere digneris. Secundo: Benedicere et sanctificare digneris. Tertio: Benedicere, sanctificare et consecrare digneris.

17. *Post hæc choratores compleant totam litaniam usque ad ultimum Kyrie, eleison, per quod missa incipitur, quæ completur, ut in missali.*

¹ *Ed.* innocentiæ

XIX. In Assumptione beatæ Mariæ Virginis benedictio herbarum

1. [Oratio:]

SUPPLICES tuam atque obnoxiiis precibus, Deus, deprecamur clementiam, qui mirabiliter cuncta creasti ex nihilo, quique, terra edita, diversa proferre germina præcepisti, atque uniuscuiusque semen in semetipso manere superindidisti, atque diversa in eis medicamentorum genera, ad sananda humani generis corpora, tribuisti; ut benedicere ✠ et sanctificare ✠ has diversi generis herbas tua almitate digneris, ut quicumque ex eis in hac venerabili sollemnitate sanctæ Dei Genitricis, Mariæ, sunt sumpturi, tam animæ, quam corporis sanitatem recipiant, et, intercedente beata Maria, de universis terrarum germinibus sumamus salubriter, quatenus in tuorum odore unguentorum paradisi mereamur adire ianuas, præstante Domino nostro, Iesu Christo. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

2. Alia oratio:

BENEDIC, ✠ Domine, creaturam istam herbarum, ut sit remedium salutare humano generi, et præsta per invocationem nominis tui, et sanctæ tuæ Genitricis, Mariæ, ut, quicumque ex ea sumperint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Qui cum Patre.

De festis diebus colendis

NOS, maiorum et antecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ut circa festivitates celebrandas in nostra ecclesia Strigoniensi et etiam tota diœcesi concors et perpetua unio habeatur, statuimus, ut in subscriptis diebus tam clerici, quam laici debeant a servilibus operibus abstinere, et sequentes festivitates colere:

IANUARIUS HABET TRIGINTA UNUM

Circumcisio Domini:	Prima die Ianuarii.
Epiphania Domini:	Sexta die Ianuarii.
Conversio sancti Pauli:	Vigesima quinta die Ianuarii.

FEBRUARIUS HABET DIES VIGINTI OCTO

Purificatio beatæ Mariæ:	Secunda die Februarii.
Sanctæ Dorotheæ virginis:	Sexta die Februarii.
Dies Matthiæ apostoli:	Vigesima quarta Februarii.

MARTIUS HABET DIES TRIGINTA UNUM

Sancti Gregorii papæ:	Duodecima die Martii.
Annuntiatio beatæ Mariæ Virginis:	Vigesima quinta die Martii.

APRILIS HABET DIES TRIGINTA

Festum gloriosi pontificis et martyris ¹ Adalberti, pii patroni ecclesiæ nostræ Strigoniensis:	Vigesima tertia die Aprilis.
Dies Georgii martyris:	Vigesima quarta die Aprilis.
Sancti Marci evangelistæ:	Vigesima quinta die Aprilis.
Item festa mobilia: Resurrectionis, scilicet Domini cum duobus diebus, Ascensionis Domini et Pentecostes, cum duobus similiter diebus sequentibus, ac sanctæ Trinitatis, et Corporis Christi in diversis anni mensibus, Martio videlicet, Maio et Aprili, pro cursu lunari, celebrentur.	

¹ *Ed.* martyris

MAIUS HABET DIES TRIGINTA UNUM

Sancti Philippi et Iacobi apostolorum: Prima die Maii.
 Inventio sanctæ Crucis: Tertia die Maii.

IUNIUS HABET DIES TRIGINTA

Decem milia martyrum: Quinta die Iunii.
 Sancti Ioannis Baptistæ: Vigesima quarta die Iunii.
 Beati Ladislai regis: Vigesima septima die Iunii.
 Sancti Petri et Pauli apostolorum: Vigesima nona die Iunii.

IULIUS HABET DIES TRIGINTA UNUM

Visitationis beatæ Mariæ Virginis: Secunda die Iulii.
 Sanctæ Margaritæ virginis: Decima tertia die Iulii.
 Sanctæ Mariæ Magdalenæ: Vigesima secunda die Iulii.
 Dies Iacobi apostoli: Vigesima quinta die Iulii.
 Dies Annæ, matris Mariæ: Vigesima sexta die Iulii.

AUGUSTUS HABET DIES TRIGINTA UNUM

Transfigurationis Domini: Sexta die Augusti.
 Beati Laurentii martyris: Decima die Augusti.
 Assumptionis beatæ Mariæ Virginis: Decima quinta die Augusti.
 Sancti Stephani regis: Vigesima die Augusti.
 Dies Bartholomæi apostoli: Vigesima quarta die Augusti.

SEPTEMBER HABET DIES TRIGINTA

Nativitatis beatæ Virginis: Octava die Septembris.
 Exaltationis sanctæ Crucis: Decima quarta die Septembris.
 Sancti Matthæi apostoli et evangelistæ: Vigesima prima die Septembris.
 Dies Mich[a]elis archangeli: Vigesima nona die Septembris.

OCTOBER HABET DIES TRIGINTA UNUM

<i>Sanctæ Lucæ evangelistæ:</i>	Decima octava die Octobris.
<i>Sancti Simonis et Iudæ apostolorum:</i>	Vigesima octava die Octobris.

NOVEMBER HABET DIES TRIGINTA

<i>Omnium sanctorum:</i>	Prima die Novembris.
<i>Sancti Emerici ducis:</i>	Quinta die Novembris.
<i>Beati Martini confessoris:</i>	Undecima die Novembris.
<i>Sanctæ Elisabeth viduæ:</i>	Decima nona die Novembris.
<i>Beatæ Catharinæ virginis:</i>	Vigesima quinta die Novembris.
<i>Sancti Andreæ apostoli:</i>	Trigesima die Novembris.

DECEMBER HABET DIES TRIGINTA UNUM

<i>Sancti Nicolai episcopi et confessoris:</i>	Sexta die Decembris.
<i>Conceptionis beatæ Mariæ Virginis:</i>	Octava die Decembris.
<i>Dies Thomæ apostoli:</i>	Vigesima prima die Decembris.
<i>Nativitatis Christi:</i>	Vigesima quinta die Decembris.
<i>Sancti Stephani protomartyris:</i>	Vigesima sexta die Decembris.
<i>Beati Ioannis apostoli et evangelistæ:</i>	Vigesima septima die Decembris.
<i>Sanctorum Innocentum:</i>	Vigesima octava die Decembris.

Tabula contentorum in hoc opusculo

Exorcismus salis et aquæ dominicis diebus:	folio 1.
Ordo benedictionis nubentium, quando fit cum sollemnitate:	folio 3.
Copula super viduas:	folio 4.
Introductio sponsæ novæ post nuptias:	5.
Ordo baptismi:	6.
Baptismus circa fontem:	11.
Introductio mulieris post partum:	12.
Ordo ad inungendum infirmum:	14.
Recommendatio animæ:	23.
Modus sepeliendi defunctum:	26.
Benedictio carniū in die Paschæ:	38.
Benedictio lardi:	38.
Benedictio super carnes avium:	38.
Ovorum benedictio:	39.
Caseorum benedictio:	39.
Ad quævis benedictio:	39.
Ad omnia benedictio:	39.
Consecratio segetum in die sancti Marci evangelistæ:	39.
Benedictio pabuli seu avenæ in die sancti Stephani protomartyris:	43.
Benedictio vini seu amoris in die sancti Ioannis:	folio 45.
Benedictio baculorum seu capsellarum pro peregrinis:	47.
In reversione peregrinorum:	50.
Benedictio novi panis:	51.
Benedictio uvæ sive novæ fabæ:	51.
Pomorum benedictio:	51.
Benedictio ad vasa nova:	51.
Benedictio novæ domus:	52.
Decem præcepta:	53.
Septem peccata mortalia:	53.
Quinque sensus corporis:	53.
Peccata clamantia in cælum: ¹	54.
Peccata in Spiritum Sanctum:	54.
Peccata aliena:	54.
Septem sacramenta Ecclesiæ:	54.
Sex opera misericordiæ:	54.
Septem dona Spiritus Sancti:	54.
Circumstantiæ peccatorum:	54.
Ordo in Purificatione beatæ Mariæ Virginis:	54.
In capite ieiunii:	58.
Ordo Ramispalmarum:	60.
Benedictio florum et frondium:	62.
In Cena Domini:	66.
Ordo in Parasceves:	68.
Ordo in Sancto Sabbato:	71.
Benedictio fontis:	73.
Benedictio herbarum in die Assumptionis Mariæ:	75.

¹ *In editione huius et trium subsequentium titulorum paginatio econverso impressa est, videlicet 45.*